10

DISSERTATIO POLITICA DE NOMOTHETICA, SEU RECTA LEGUM FERENDARUM RATIONE, ET IN SPECIE DE LEGUM CONSTITUTIONE IN IMPERIO GERMANICO

QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA,

SUB PRAESIDIO

AMPLISSIMI ATQUE CLARISSIMI VIRI

HERMANNI CONRINGII,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ac Professoris Publici &c. Fautoris sui ac Hospitis, multis nominibus æternum colendi,

IN ILLUSTRI ACADEMIA IULIA

AD DIEM OCTOBRIS

Publico examini subjicit

JOHANNES ADAMUS ab HAMMERSTEIN,

NOB. WESTPH.

(o)

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

Anno clɔ Iɔc LXIII.

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. ERNESTO AUGUSTO

Episcopo Osnabrugensi, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi

UT ET,

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO COMITI AC DOMINO

DN. HERMANNO ADOLPHO

Comiti ac Nobiliori Domino de Lippia &c.

Prospera omnia & perennitatem

QVando Serenissime Princeps, Tuque Illustrissime Comes, Domini mei Clementissimi, ex antiquis monumentis, quæ literarum semper fuerint fata, memori nunc mente revolvimus; illud apparet, quod sive temporum injuria, sive benignitate, prout quidem vel indignos sui contemtores, vel

admiratores & patronos nactæ, modo fuerint in flore constitutæ, modo omnium pene oblivione sepultæ atque emortuæ. Eadem namque cum fautoribus suis fata literarum studia ferè sunt experta; & quæ tempora Alexandrum literarum quoq; patrocinii nomine verè Magnum, eadem Aristotelem in omni Philosophiæ genere primum, & unum ad miraculum doctissimum dederunt. Quæ ætas Augustum Principem benevolo in literatos animo nemini secundum, eadem tulit Virgilium & Horratium συγγενεῖς Poëtarum principes. Quid de Mæcenate dicam, qui & ipse elegantissimè fuit doctus, & doctorum hominum patronus munificentissimus, ut & nomen ejus à tot seculis posteritati transcriptum in proverbium ierit, ac Mœcenates dicantur, si qui literarum ac literas amantium tutelam ac patrocinium in se recipiant. Taceo Trajanum, Hadrianum, Marcum Antonium dictum Philosophum, Imperatores, aliosque, quos isthæc secula numerarunt literarum patronos, dignos, qui in omne ævum memorentur. Sed si pergamus ad ea per nostra propius tempora aspiciunt, illud communi stat omnium historicorum sententiâ, quod non tantum Asiaticæ, & quod reliquum terrarum mare mediterraneum alluit, sed & totus Græcorum & Romanorum orbis, (quo hactenus doctrinæ gloria comprehendebatur) totaque cumprimis Germania, quæ cum duobus illis malis,

barba-

barbarie ſcilicet & morum ferocitate perpetuò conflictata fuiſſe dicitur, neq; liberales artes, neq; earundē patronos invenerit; donec ſuperiore fere ſeculo, pulſis barbariei denſis nebulis, cœlum noſtros homines adſpexit benignus, literarumque ſtudia, dubito tamen felicitate magis quorundam ingenij, vel magnorum Principum auſpicio, excitavit, produxitque. Inde uberes accepimus doctorum virorum fœtus, libroſque novorum paſſim hominum innumeros, quorum ſi frontiſpicia legas, videas non tantum omnes ſub magnorum Principum nomine & patrocinio in lucem prodiiſſe. Perpetuâ igitur exemplorum ſerie ad nos derivato more, ſi ego quoque, quamvis in ipſis ſtudiorum meorum incunabulis uterer, & queîs poſſem obſequiis Mœcenatem ſegerem, me quicquam non indignum committere videri utique poſſim. Quando vero cumprimis vos, Serenisſime Princeps, & Illuſtriſſime Comes, Dominos meos Clementisſimos hæc mea opella publica. Veſt. Veſt. Celſitud. Celſitud. veneratione compellat, credo equidem me illud facere, quod cum Principalis veſtra dignitas, tum naſcendi lex jubeat: præſertim quando in veſtra ſitum erit poteſtate, deſerere an promovere velitis eas curas, quæ magnis patronis indigent. Hanc igitur, Principes, Domini Clementisſimi, quam de-

Recta legum ferendarum ratione, conſcripſi diſſertationem, tanquam primitias meliorum fructuum, lætâ ac propititiâ fronte accipite, ſtudiiſque meis, quod unicè peto, favete. Quod ſi à Veſt. Veſt. Celſitud. Celſitud. impetrare fas eſt, nunquam pœnitebit, hactenus literas, ac Philoſophiæ præcepta, à primis elementis ac fundamentis, ſtrenuè imbibere perſeveraſſe. Dabam Helmſtadii die XII Octobr. Anno à nato Christo CIↃIↃC LXIII, qui Epiſcopatus Reverendisſimi ac Sereniſſimi Principis ERNESTI AVGVSTI, ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis &c. Domini mei Clementisſimi Annus ſecundus ſecunda omnia in futurum diu pollicetur.

Veſt. Veſt. Celſitud. Celſitud.

humillimus ac devotiſſimus

JOHANNES ADAMVS ab HAMMERSTEIN
Nob. Weſtph.

D. O. M. A.

THESIS I.

Si nullus in Philosophia Politica de rebus civilibus locus sterilis est relictus, nescio an fertilior ullus sit eo, qui est de civitatis justo, cujus scientia quædam, & de recta legum, cujus propria est prudentia, in qualibet rep. constitutione agit. *Iis enim in rebus, quæ honesta & justa sunt, quas civilis scientia considerat, tanta varietas, tantaque versatur in iis erratio, ut lege modo, non autem natura constare videantur, ut inquit* summus magister Aristoteles. 1. Eth. c. 3. §. 3. Leges porro ipsæ, utut prudenter latæ, non modo apud diversas gentes, sed & in una civitate tantâ multitudine ac diversitate laborant, ut videas nunc has, nunc illas existere, nec unquàm homines cessare, alias ex aliis leges ducere, ut adeoque non tam innatâ quadam bonitate, quàm hominum opinione consistere videantur. Tanta autem licet sit justi legumque omnium varietas, nihil tamen obstat, quin ejus certa esse scientia, ac hæ quidem ad prudentiæ normam exigi possint. Quod nec mirum, nec expeditu difficile videbitur ei, qui noverit quemadmodum una eademque res, quantum ad formam externam attinet, multis modis rectè se habere possit, quod ex artis ipsius, & naturæ abundantia contingit.

II.

Hæc vero non solum datur & justi scientia, & legum condendarum prudens ratio, sed & antiquior est quavis lege, & instituto cujuslibet gentis. Justum enim aliquod cum-

cum ipsa natura humana & ex Deo, & natura est productū.
Leges quoque conditæ è ratione & prudentia, non ratio & prudentia è legibus. Illa enim harum causa est, quæ semper prior est causato.

III.

Utut autem antiqua fuerit legum constituendarum in qualibet rep. prudentia, nulli tamen, aut sanè pauci fuerunt, qui eam scripto comprehendere, & ea quæ ex his sub scientiam quandam cadunt, in artem redigere sint conati. Plurimi enim in Nomothetice Practica constiterunt, atque hoc legumlatoris opus esse crediderunt, ut potius ipsas leges reip. suæ utiles, quam universalem quandam normam, ad quam quæque exigi debeant, scribere & præscribere in animum inducerent. Alij tamen hac in re nihil non præstitere, ut ex veteri ævo *Plato & Aristoteles*; quorum illum quod confusè multa tradiderit viri docti increpant, hujus vero fortunam & librorum mutilationem cum omnis literatorum ordinis mœrore dolent. Ex Neotericis dubitant viri docti, an quisquam sit qui aliquid laude dignum præstiterit, præter *Hopperum*: cujus priores de vera Jurisprudentia libri quatuor, (octo enim reliqui concernunt jus, ac leges partim publicas partim privatas, easque Romanas) adeo, ut omnia ejus, sunt docti & ingeniosi, ut merito dubites, an argumentum quatuor horum librorum, vel οἰκονομίαν, ac methodum autoris pluris facias. Præter hos sunt alij, quibus forsan ingenium haud defuit, qui tamen ideo optimorum quorumcunque laudem haud invenerunt, quod nomothetam suum impium & divini numinis fecerint contemptorem, & cuncta à Ratione, quam vocant, status suspendendo, pessimas etiam leges, dummodo ad perversam & nefandam imperantium utilitatem facerent, simpliciter justas esse

esse voluerint. Sunt denique alii, qui haud quidem impiè, ineptè tamen se gerunt, & omne legumlatoris opus numeris legulei cujusdam, aut rabulæ juris Romani forensis absolvunt, ac deinceps resp. legibus Romanis, non leges rebusp. accommodant. Quem pudendum errorem jam olim Ampliss. atque Clariss. Dominus Præses in Tabore Professore nunc Giesensi redarguit, eumque dudum ad sacrum quoddam silentium, si rationes quidem non autem convitia spectes, doctissimum quibusdam scriptis compulit, ni nuper demum nota ejus importunitas meris gravida maledictis prodire, & omissis rerum momentis, viro docto indigna scommata in eum, qui cunctis bonis audit optimus pariter ac ævi nostri doctissimus, omni profligato rubore evomere maluerit.

IV.

In multi, inquam, circa nobilissimam & amplissimam in Politicis doctrinam & ipsi fœdè errarunt aliosque multos in societatem erroris traxerunt, ut nec hodie virulenta illa & una reip. noxia doctrina ex animis multorum queat exstirpari. Nos igitur quanto meliora fuerimus à summis ac Clarissimis hujus Academiæ viris edocti, hisce paginis deinceps includere & publicæ eruditorum disquisitioni subjicere haud dubitamus. Quod partim ideo faciemus libentius, quod nihil à nostris studiis conemur alienum; partim quod in nobilissima delecti argumenti materia nostra opera versetur, utpote quæ omnia reip. negotia & summa majestatis capita sub se comprehendat. Quanquam enim multa sunt quæ legibus (universaliter enim loqui debent (a) definiri nequeant, & insuper ineptè quis, (a) Arist. 1. Rhet. c. XII. §. 26.
cum multa fiant de facto quæ non sunt de jure, ex solis legibus reip. statum judicaret; nosse tamen legum non solum τὸ ὅτι sed & διότι, quod demum legum prudentiæ proprium

eſt, nihil poteſt eſſe magis eximiũ & penè ipſiſſima eſt, quæ omnia reip. negotia ſpectat, prudentia civilis. *(a)* Habere tamen illud per ſe videntur leges, quod ejus jubendæ ac tollendæ poteſtate cætera majeſtatis capita venire dicantur; ita ut *ſummum reip imperiũ* (verbis utor Bodini *(b)* *una re quodammodo ſit comprehenſum, ſc. univerſis ac ſingulis civibus legem dicere ac dare, à civibus accipere nunquàm; nam bellum hoſtibus ſuo jure indicere, aut pacem cum iiſdem inire* (eadem ratio eſto de reliquis majeſtatis capitibus) *tametſi diverſum quiddam à legis appellatione habere videntur, hac tamen lege, i.e. ſummæ poteſtatis juſſu, fieri conſtat.* Ut igitur imperium hoc legem jubendi poteſtate abſolvi, ita imperandi artem circa legum ferendarum prudentiam totam eſſe occupatam, verè dicemus.

(a) Vid. Ampl. Dn. Præſ lib. de Civil. Prudent. c. III. p. 18.

(b) lib. I. de rep. c. X. p. 243.

V.

Hæc vero, ut ad rem deſcendamus, *nihil eſt aliud, quam prudentia quadam ac ſcientia civilis, quæ de juſto civitatis agit: valens proſpicere, quid cuilibet civitati expediat vel noceat: ut quod facto opus eſt imperio ac juriſdictione per leges publicas & privatas jubeatur, quod noxium & fœdum inceptu iiſdem vetetur.*

VI.

Definivimus Nomotheticen per Prudentiam ac Scientiam quandam civilem, quod definiti genus ne quis nos minus ἀκριβῶς ſtatuere, aut uno poſito alterius naturam invertere dicat, obſervandum eſt, omnem omnium deliberationum, quæ de civitatis juſto inſtitui ſolent, materiam eſſe ferè, cumprimis ſi ſingularia ſpectemus, contingentem. Excipio enim hic ea ſolum, quæ principia nobiſcum nata, & Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν dicuntur, quæ utique non poſſunt venire in deliberationem, ſiquidem

dem semper eodem modo se habent. Contingentiæ vero illius, de qua diximus, varij sunt gradus: estq; adeo deliberationum materia modo contingens ut plurimum, modo talis ut abstrahi ea contingentia, rerumque hypothetica quædam intelligi possit necessitas. Horum, quæ universaliter ita & in abstracto concipiuntur, propria est scientia quædam tantum; circa ea vero, quæ se ut mere contingentia & singularia habent, versatur prudentia, sed non tantum, quoniam hæc præter singularia etiam in universalibus est occupata. Haud aliter atque Geometria προβλήματα sua quæ sunt fere de singularibus, considerat non tantum, ut singularia, sed etiam quasi in universum sunt κοινὰ, ut & quatenus hæc cum universalibus, (quæ plærumque θεωρήματα dicuntur, & à singularibus mente abstrahuntur) consentiunt. Hoc igitur, ut in omni quoque rerum Politicarum materia usu venit, ita cumprimis in recta legum ferendarum ratione; quæ potissimum est omnium deliberationum caput, videre est: adeoque verè ejus cum scientiam, tum prudentiam esse asserimus. Hoc vero non solum de generaliore illa, sed & ea, quæ singularis est alicujus reip. legum cognitione verè affirmamus. Quare & legum nostrarū ad Imperium Germanicum pertinentium prudentiam singularem pariter & universalem, imo scientiam quandam haberi posse, nullus dubito; si modo quis ad sinceros fontes recurrat & perspectis rerump. generibus, earundemque morbis ac conservationibus, publicorum actorum ac reip. nostræ verâ historiâ non destituatur. Idem quoque de jure Romano perhibet JCtus cum inquit (a) quod *ejus prudentia sit justi ac injusti scientia*. Quod autem alibi in contrariam videatur ire sententiam, dicatque: (b) quod *non omnium quæ*

(a) l. 10 ff. de justitia & jure.
(b) l. 20 ff. de legibus &c.

à majoribus constituta sunt, ratio reddi possit; illud verum quidem est de origine cujuslibet latæ legis, præsertim si illa antiqua sit, & monumenta historica illius ævi, quo lata lex est, deficiant. Non tamen trahendum est in eum sensum, quasi non omnium legum latarum utilitas & noxa pro cujusque temporis statu queat intelligi. Neque porro est, quod nos turbent illa Neratij: (*a*) *Rationes eorum, quæ constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt, subvertentur.* Agit enim ille de vulgi hominibus aut de ijs qui in foro versantur, quorum est vel sæpe nulla, vel saltem prudentia quædam δικανική, quæ illius laudem nullo modo attingit, cujus est in legum rationes inquirere; quâq; ut saltem aliqui præstent, valeantque videre, quid in civitate mutandum sit nec ne, interest cujuslibet civitatis. Deinde quoq; hæc seculi Justinianei genio magis erant accommodata, eratq; ex usu illius absolutæ monarchiæ, ut pauci scirent quare quid esset legibus constitutum, & quomodo illæ se habere deberent. Eoq; studiosè ipse *Justinianus*, inquit, Amplissimus atque Clarissimus Dominus Præses (*b*) *adminicula omnia*, (loquitur de his quæ ad perfectam legum interpretationem erant necessaria,) *partim abolevit præfationibus constitutionum concisis & obscuris disjunctisque fragmentis productis; partim incerta reddidit, sub antiquis librorum, auctorum, annorumq; inscriptionibus, plurimis novis pro sua potestate editis: in universum quoq; omnia noluerit amplius veterum illorum censeri, sed sua.* Alias vero & Politicam quandam juris ac legum pro præsenti statu interpretationem haberi posse, & qui tali instructi sint prudentia nomothetica in qualibet civitate esse debere, docet passim Amplissimus atq; Clarissimus Dn. Præses, & is quem supra laudavimus, Hoppe-

(a) L. 21. ff. de legibus &c.

(b) in præfation. ad Hopperū.

Hopperus libro 4. de Vera Jurisprudentia Tit. 23. Forte quod inter alia multa de Hoppero isthoc narrat Melchior Adamus (a) desumpta ex Suffrido Petro) hic adferre fuerit operæ pretium: *Ex quo*, inquit, *Antistites Academiæ Lovaniensis conatus ejus, mox, delata honoraria juris professione promoverunt: nullo statuto stipendio; ut doceret ex autoritate publica. Hac fretus liberius potuit ab inveterata barbarorum docendi consvetudine deflectere, & ad puriorem veterum juris tractandi rationem studia juvenum revocare. Ut igitur plausibiliorem redderet doctrinam suam; juris artem se traditurum professus, & idcirco Digestorum paratitla exorsus, consequentiam titulorum in Pandectis ratione subjecta declaravit. Quod hactenus illic non insitatum modo erat, sed & paradoxum videbatur; quod plerisq; persuasum esset; non modo Romani juris autorem Justinianum, hominem fuisse prorsus ἀναλφάβητον, sed etiam jus ipsum in artis formam planè redigi non posse.* Cæterum quæ Romanarum aut Germanici nostri Imperij legum, eadem in universum omnium legum latarum, statutorum, consuetudinumque est ratio. Ideoque etiam hæc de definiti nostri genere pro instituto nostro sufficiant.

(a) In Vitis ICtorũ & Politicorũ Germanim.

VII.

Hisce vero ita expeditis haud difficile nobis erit ad definiti seu Nomothetices divisionem progredi. Dividitur namque, ut supra ferè diximus, in Theoreticam, seu universalem, & Practicam vel quasi particularem; quæ divisio est non generis in species, sed totius in partes. Illa, quicquid cuique reip. circa ea de quibus leges ferri possunt, expediat, vel non, in universum considerat: & tam latè patet, quàm ipsa illa scientia, quæ versatur circa id, quod justum est, in Monarchia, Aristocratia, Democra-

tia & ex his mixtis rebusp. Specialior ea, quæ peculiaris alicujus ex his status, & singularis sunt reipubl ut Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Hispaniæ &c. considerat, & non tam quid simpliciter in republ. justum, quàm quomodo justitia illa in singularem aliquam civitatem sit introducenda, exactè perpendit. De utraque propositum nobis est aliquid dicere, & hac quidem concatenatâ orationis serie, ut constet (1) *circa qua versetur legum ferendarum prudentia* (2) *quomodo*, (3) *qua dirigente causa*, & denique (4) *quem in finem*. Iis singulis partibus, quando ad specialiora deveniendum: subjiciemus nonnulla quæ ad legum Imperij nostri Germanici constitutionem pertinent. Ineptum enim est foris evagari & ab exteris gentibus multa quærere, domi vero peregrinum esse hospitem & omnium rerum ignarum. (*a*) Similiter is stultè nimis prudentiæ laudem affectat, qui de singularibus planè securus in universalium sola cognitione subsistit & requiescit; Prudentia namque versatur quidem circa universalia, magis autem circa singularia.

(a) Vid. Clar. Dn. Præsid in prolegom. de princip. Germ.

IIX,

Primum itaque, *quemadmodum & aliis opificibus, veluti textori & fabro navali oportet materiam paratam esse ad opus faciendum idoneam (quanto enim ipsa melius comparata fuerit necesse est, quod ab arte efficitur pulchrius esse) sic & Politico & scriptori legum suam propriamq; oportet adesse materiam, quæ sit accommodata*. (*b*) Non enim ex quovis ligno fit Mercurius, nec quælibet forma reip. cuilibet potest induci subjecto seu civili societati, ut nec unus calceus cuilibet pedi potest aptari.

(b) Aristoteles 7 Polit. c. 4.

IX.

Quandoquidē vero è pluribus pagis communio perfecta civitas

vitus est: quæ jam omne ut ita loquar extremum nacta est, nata sanè vivendi gratia, existens tamen benè vivendi: (*a*) Et quandoquidem in civitate neque vivere homine possint, neq; bene vivere, nisi certis ea legibus aut probis morum institutis gaudeat (ut enim hoc universum naturæ ordini, ita hominum quisque cœtus certis debet astringi legibus,) quia porro leges in civitate & de civitate conduntur: hinc civitas inseparabile erit Nomothetices subjectum. Quare illam ex quibus juncta est attendere, & quemadmodum in alijs rebus, compositum ad incomposita debemus resolvere. Ingentes enim hic oriri difficultates, & pro varia cujuslibet civitatis natura, formam bonis legibus civitati inducendam discrepare, constat.

(a) Aristoteles 1. Polit. c. 2.

X.

Ut verò à simplicissimis ac primis rerum ordiar, attendenda primo est ipsa terra & soli in qualibet civitate natura. Hujus siquidem vel vitio vel bonitate contingit, ut civitas illud suum τὸ εὖ ζῆν vel ex toto, vel ex parte consequatur. Quanquam & illud contingere posset, quod civitas talem regionis sit sortita situm, ut in civitate degentes vix vivere, multò minus bene & liberaliter vivere possint. Quale quid de illa civitate affirmare licet, quam natura in eas loci damnavit difficultates, ut neque sibi sufficiat ob aëris & soli rigorem, neque aliunde, quæ opus habet, queat asportare. Sæpius tamen illud fit, quod naturæ quidem benignitas multas civitates haud destituat. eo ipso tamen sibi ipsis desint, quod legibus, fœderibus & pactis (sunt enim & hæc quoque leges quædam, & vim legis habent, ita ut *quicunq; fidem fallat, pactionesq; subvertat, is leges ipsas tollere videatur* (*b*) aut alijs quæ huc pertinent minus rectè sint compositæ.

(b) Arist. 1. Rhet. c. xv. §. 37.

IX. In-

XI.

In Germania, siquidem de rebus quoque nostris quicquam dicere nobis est propositum, ut sese hæc res habeat, in universum ita apparet, quod in legumlatorum culpâ peccaretur nihil quicquam eorum, quæ faciant ad vitam in rerum sufficientia & virtutum exercitio degendam, nobis deesse, possimus meritò gaudere. Constat enim quod, cum olim sylvis horrida, paludibus fœda, ac incolis undique fera fuerit, urbes quoque & junctas decore sedes vix ante seculum V. habitaverit nullas, (a) hodie tamen postquam moratiorum hominum labor ac industria accessit, oppidis passim facta sit insignis; nemoribus quoque, quibus immensis tegebatur, ad usum decusque castigatis, nihil quicquam deneget; quin etiam cum ditissimis terris fertilitate possit certare. Naturæ igitur beneficio hoc fit, ut nostris alendis regionis divitiæ sufficere possint: quanquam intemperantia & animus rebus suis plus ultra appetens hoc faciat quod ad vitam plus quàm liberaliter degendam, luxuque diffluentem multa ab exteris mutuari & importare necesse habeamus. Quæ si legibus ac probis institutis, quantum quidem fieri posset, vetarentur, esset quod rebus nostris merito gratularemur. Quanquam autem ita Germania sibi sufficere possit, non tamen idem usu venit in singulis Germaniæ provincijs. Quare cum haud ita facile quis toti reip. nostræ corpori præficiatur, diligenter quisque viderit cumprimis, ut sese hæc res habeat in ea rep. cui quondam operam locabit.

(a) Tacit. de mor. German. c. xvi. & Ampl. fl. Dn. P. ...b. In disput. de urbibus th. xxiv.

XII.

Postquam autem Legumlatori constat, quid quæque terra producat, quid ferre recuset, superest ut œconomicas

micas subducat rationes,ac non solum ut justè & suo tempore quæque proveniant, sed etiam quæ sufficiant suis alendis,quæque possint exportari,probe perspiciat, ut cum ijs populis, qui vel deficientia suggerere vel abundantia recipere queant fiant pacta conventionesque. *Duo siquidem sunt hominum genera apud quos ne offendant cives providendum est, qui potentiores sunt, & adhuc* (ad commercia) *quæ modo diximus utiles.* (a)

(a) Arist. 1. Rhet. c 19. §. 11.

XIII.

Ea igitur quæ necessaria desunt à vicinis sunt petenda, quæ abundant vicissim sunt exportanda. Eadem aliâ lege, si infelicius proveniant, ne exportentur vetari debent, ne alijs ministrent, domi vero rerum omnium egeni minus habeant unde vivant. Quæ ipsa fuit ratio, quod superiori anno in diœcesi Magdeburgensi, alibique passim, cum frugum inopia metueretur, ne quicquam exportaretur, lege caveri potuerit. Dicitur vernaculâ nostrâ linguâ der Ausschlag.

XIV.

Ex hisce porro constat ratio vectigalium, quæ indicuntur exportandis & importandis; & tributorum quæ respectum habent ad ea,quæ quisq; possidet.Utrisq; ditatur ærarium publicum. *Opus vero est civitatibus pecunia & hujusmodi usis ipsius facienda, quemadmodum domui, magis autem,* ut inquit Aristoteles. (b) Sine pecunia enim publica neq; legationes obiri,neq; exercitus conscribi,neq; mœnia restaurari, breviter neq; quæ sunt honesta, neq; quæ sunt necessaria in rep. opera possunt plenè peragi. Quare nonnulli, qui operam dant reip., curant tantum hæc,eumq; aptum esse reip. gerendæ putant, qui vias noverit pecuniæ parandæ. Sed iniquè ij quidẽ se gerunt,quia omnibus acti-

(b) 1. Pol. c. VIII.

 onibus

onibus finem statuunt divitias,eaq; in infinitum expetunt, quæ instrumenti vicem esse debebant; definita siquidem oportet cuilibet rei sua esse instrumenta, ut architecto ac fabro navali. Deinde accuratè ea sunt distinguenda, quæ ad nomotheticen per se pertinent ab iis quæ sunt per accidens;quo modo & œconomica nihil ad hanc pertinent,nisi tantum eâ ratione, qua virtutem partis respicere oportet ad virtutem totius.

XV.

Sed de vectigalibus ut & ærario reip. probè instituendo sub præsidio Amplissimi atque Clarissimi Dn. Præsidis jam tum doctissimis aliquot propositis thesibus seorsim est actum. Illud addo,quod in Imperio nostro non tantum non habeamus ærarium publicum, sed & difficulter viam hoc rerum statu apparere, unde justum & satis instructum ærarium possit parari, quandoquidem res nostræ multum sunt accisæ. Vectigalia enim nulla habet Imperium. Bona publica & feuda imperii quæ olim non tam cum vita exspirabant quam ad certum vitæ tempus usufructuarium in modum vasallo concedebantur, exinde facta sunt perpetua, quæque suis Principibus, Comitibus &c. propria ac hæreditaria. Quare ea forte solæ reip. nostræ erunt divitiæ, quæ singuli Ordines, postquàm in plenis Comitiis ita est decretum, contribuunt, die Reichs-steur / Reichs-anlage / Reichs hülffe. Deferuntur autem tributa non in ærarium, sed ab ordinibus destinato usui aut statim dicantur, aut saltem à singulis Ordinibus (a) vel à singulis circulis (b) & circulorum deputatis in destinatis ad hanc rem urbibus, den Legstätten & accipiuntur, & asservantur, donec in certum usum impendantur; (c) ut ita quoque Palatinus Rheni

(a) Recessus Imperii A. 1518. § unnd nemlich dieser meinung.

(b) Recessus Imperii A. 1545. § wir setzen/ordnē/ und wollen auch.

(c) Liber qui tit. Grundfeste des H. Römischen Reichs p. 127.

Rheni inter Officiales Imperij Archithesaurarij nomen habeat inane: quemadmodum & cæteri Imperij Officiales veteris Majestatis titulos gerunt. Illud vero arbitror, ex nostro hoc tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatis aliquid redundare potuisse, quamvis tamen, num hodieque, cum bellum quod moliuntur Turcicum paratam velit esse ingentem pecuniæ vim, idem usu venire possit, haud dixerim. Illud constat quod opulentiores fiant non ij modo, qui ad opes aliquid addunt, sed ij quoque, qui de sumptibus detrahunt. Qua ratione exquisitè præcipit Philosophus noster: (*a*) *Primum nosse oportere, quantum ex quaq; re civitas capiat, ut si quid prætermittitur, addatur: si quo minus, quàm par est, ex re aliqua percipitur, augeatur. Deinde cognosci debere sumptus quos facit civitas, ut si quis supervacaneus est tollatur, si quis justo major, minuatur.* (a) 1. Rhet. c. 4.

XVI.

De primo prudentiæ legislatoriæ subjecto, h. e. quomodo circa ipsam reip. regionem ejusdemque qualitates versetur, propè diximus, unum illud addiderimus: quod situm & custodiam cujuslibet regionis spectat. Pessime enim se haberet ea regio, quæ omnibus quidem rebus diffluerct, exterorum tamen & potentiorum injuriis adeo esset exposita, ut illo Poëtæ (*b*) versu opum suarum diffluentiæ tandem parentare necesse haberet: (b) 1 Virg. Ecl. 1.

Post aliquot mea regna videns, mirabor, aristas:
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? — —
— — *en queîs consevimus agros?*

Quare oportet regionem ita esse constitutam, ut ad utraque & pacis belli negotia sese rectè habeat, ita ut in ea

viventes perſpectas habeant rationes, quomodo non ſolum in otio poſſint res acquirere, ſed & eaſdem belli tempore ab externa vi tueri.

XIII.

Ad ſitum autem & cuſtodiam regionis quod attinet, præſtat cumprimis ſi naturâ loci probè ſit munita adeoque montibus fluviiſq; variis interciſa & interrupta, quo nempe fit ut hoſtibus difficilis ſit ad irrumpendũ, ipſis vero prona ad exeundum. Hinc eſt quod Tacitus inter Germaniæ laudes hoc primo loco recenſet: *Germania omnis à Gallis, Rhætiiſq; & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Daciſque mutuo metu aut montibus ſeparatur.* Mare autem præter quod commodam commerciis præbeat navigationem & alias multas utilitates præſtet, ſecuritatem quoque affert regioni, & efficit ut facilis ſit ad auxilia mittenda & recipienda. Deinde *ei, (a) qui imperium maris habet, parent quæq; mari adjacentia, oppida ſi ſint magna propter metum parent, ſin parvula propter utilitatem. Nullum eſt enim oppidum cui non opus ſit aliquid importari aut exportari; quod non fiet niſi pareat iis qui maris poteſtatem habent. Hinc qui dominantur mari his licet facere, quæ terra dominantibus non licet: nonnunquam terram vaſtare potentiorum. Licet enim appellere ubi hoſtes vel nulli ſunt vel pauci; quod ſi hoſtes adventent licet conſcenſis navibus ſolvere, atq; hoc qui facit, minori in difficultate eſt, quam qui ſuccurrit. Tum autem in mari imperantibus licet à ſuis finibus quamlibet longè navigare, cum terra dominantibus non liceat ſuos fines itinere plurium dierum egredi. Nam & tarda itinera ſunt, & commeatus longioris temporis habere nequit pedibus vadenti. Ac pedibus quidem iter facienti aut per pacatum vadendum, aut pugnando vincendum eſt. At naviganti*

(a) Xenophon. de rep. Atheniensi.

navigantes licet, si quo fuerit superior excensum facere: sin inferior ejus terram devitáre ac praeternavigare, donec ad pacatam regionem aut inferiores se perveniat. Ut autem hæ ex communione cum mari profluunt utilitates, ita quoque hæc ipsa res incommodis non caret. Primum enim eo modo quo facilis via est ad erumpendum, ita hosti quoque commoda est ad irrumpendum. Deinde observare est eos, qui ad mare habitant semper vitiis esse deteriores, quam eos, qui in continenti agrum colunt. Partim enim à peregrinis peregrinos mores ac multum vitiorum attrahunt: partim ipsi, cum tales regiones terræ proventibus plerumque minus sint divites, fraudibus assuescunt, audacisque conatus moliminibus inopiæ suæ laborant, succurrere. Quare Plato in libris de rep. fugiendum omnino mare censet preinde ac improbitatis magistrum. Nam ab eo remotissimos optimê administraturos remp. & juxta illud minimè habitaturos. Rectius tamen Philosophus noster (*a*) monet, non tam incommoda quam quæ mare affert commoda, spectari debere, utpote si aliquid detrimenti est, *cavere ipsum facile sit legibus, ostendendo ac definiendo, quos non oportet, ac quos permisceri oport & inter sese.* (a) Arist. 7. Polii. c. 6.

XIIX.

Quamvis autem harum utilitatum propè mater est ipsa natura, tamē Legislatoris opera accedat necesse est, quæ ijs prudenter uti & quæ aliorum incuriâ forsan negliguntur optimis legimus corrigere noverit. Quare porro si quæ minus natura loci regio sit munita, eam arcib⁹, ac munimentis, aliisq, arte factis circumvallet & adversus vim externā tutā reddat oportet. Deinde, ut præcipit optimus magister Aristoteles (*b*) noverit (1) *quomodo regio custodiatur* (2) *qui sit præsidiariorum militum numerus* (3) *cujus generis sint* (b) 1. Rhet. c. IV. §. 18.

 (4) *qui-*

(4) *quibus locis imponenda sint præsidia. Quæ ideo noscenda, ut sive minor justo est custodia augeatur: seu quæ non necessaria tollatur: & ut opportuna loca diligentius custodiantur.* Illud vero omnium debet esse primum: sc. efficere, ut situs regionis sit εὐσύνοπτος, nec adeo late diffusus, ut neque legibus comprehendi, neque ad auxilia ferenda prompta, neque suis defendendis par esse posit. Hoc enim est, cur maximis ab omni seculorum memoria constitutis regnis sua tueri, quàm aliena acquirere, fuerit difficilius. Certis vero cujuslibet regionis pro magnitudine potestatis & vita civitatis, constitutis terminis, haud difficile erit, eam ab externa vi custodire.

XIX.

Sic qui Imperij nostri Germanici sint termini ac fines, & quomodo ij se habeant, quæ loca sint munienda, quæ minus, quique præsidiariorum debeat esse numerus hoc quoque loco videre esset operæ pretium. Fines Imperij vero quod attinet, qui controversi sint jure, qui non, productis ex omni antiquitate monumentis ac testimonijs nemo unquam melius docuit, quam Clarissimus atque Amplissimus Dn. Præses, nunquam satis laudato libro de *Finibus Imperij*. Fines autem nostri quemadmodum ab exterorum injuriis possint custodiri, ei facile erit perspectu, qui accuratè ad ea attendat, quomodo apud nos se habeant, quæ modo sunt dicta & ea addat, quæ de bello & pace mox dicemus.

XX.

Bellum igitur cum non ex libidine dominandi sed publicæ pacis ergo geratur, pax vero ineatur, ut cum vicinis sive potentioribus sive inferioribus amice vivatur, & regio ipsa tuta sit ab exterorum incursionibus; hinc

ad

ad curam & custodiam regionis sive belli sive pacis negotia utique debent referri. *De bello autem & pace dicturus*, inquit, (a) Aristoteles præclarè adeo, ut locus quamvis prolixior hic ascribi debeat, *primum quidem civitatis vires & copias teneat, tum quantæ sint eæ, quæ nunc suppetunt, tum quæ præterea parari possint; & cujus generis utraq; sint: tum quomodo & quæ bella gesserit. Neq; vero de sua, sed & vicinis civitatibus hæc cognorit necesse est, aut de iis cum quibus bellum existere posse opinio est, ut cum potentioribus quidem quiete pacificeq; vivatur, adversus inferiores autem in eorum potestate sit, qui deliberant, bellum facere velint, nec ne. Sed & copias utriusq; similes an dissimiles sint, nosse oportet: nam in hoc quoq; positum est, ut aut meliori aut iniquiori conditione pugnetur. Ad hæc autem necesse est non propria modo ac domestica bella cognita habere, sed & aliorum, quæ ea exitus consequatur; similium enim similis plerumque exitum esse solet.*

(a) l. I. Rhet. c. IV. §. 14. seqq.

XXI.

Præclare sunt ut omnia, quæ hic monet Aristoteles, & quæm maximè observanda à legumlatore, præcipuè eo, qui in tali vivit rep., quæ & dives est, & vicinos habet, qui divitiis inhiant lateq; imperitare summum credunt esse civitatis bonum. Quæ enim vicinæ resp. finem statuunt divitias quærere, & latum habere imperium, & valent insuper potentia, ab iis necessum est, ut bellum metuamus. Hoc modo nostra sese habet resp. Primum enim non quod Strabo de Scythis Galactophagis ita perhibet; (b) *Externis sunt inexpugnabiles & invicti, cum nihil possideant cujus rei gratia servi fiant*, idem de nostris rebus pronunciare licet, quæ lautius se habent & vicinis possunt esse materia ac instrumentum lati imperij ac dominationis.

(b) ib. 7.

Deinde

Deinde vicinos habemus potentes, & in hisce potentissimum & quasi perpetuum hostem Turcarum Imperatorem, cujus potentia cum hactenus Orientalis Imperij limitibus contineretur, anno à nato Christo 1471. tempore Friderici III. Imperatoris, ulterius sese exserere, & ipsum Imperium Germanicum bello lacessere cœpit. (a) Abhinc funestissimum cum Turca bellum gessimus, donec tandem sub Rudolpho & vicennales pactæ Ferdinando II. repetitæ sunt induciæ, quibus ruptis bellum nunc recruduit, & ab utraq; parte magnis conatibus geritur. Seorsim hic notandum, quod consilia & quomodo Turcam Christiani orbis hostem invadere possimus exstent varia in unum corpus collecta monumenta. Quo autem successu olim omnia sint gesta, docent omniũ optimè Annales Ungarici, utpote cum Hungari proximiores semper fuerint irruptionibus Turcicis, & eandem fortunam hodie experiantur. Quare in hisce limitaneis locis muniendis maxima opera debet collocari, ut primo hostium impetui fortiter possit resisti. Illud tamen dolendum, quod jam tum maxima Hungariæ pars victricibus hostium armis succubuerit, & in tanto insuper rerum discrimine nulla aut sanè perexigua oppidorum, quæ natura ad hanc rem non sunt inepta, muniendorum habita fuerit ratio. Quæ an Cæsarianorum culpa, vel aliorum imprudentiâ aut ignaviâ contigerint, haud dixerim. De cætero, sicut Populares & Optimatum status bellicas res pro dignitate & usu reip. propter difficiles Populi ac Optimatum coalitiones, & eorundem in unam sententiam infrequentes coitiones, tractare haud possunt, (b) quamvis jus ac potestas belli gerendi aut pacis sanciendæ optimatibus vel populo in utroque statu salvâ majestate eripi nequeant: Ita & nostra Germania hac

(a) Lehmannus in Chron. lib. VII. c. 112.

(b) Bod. lib. 1. de rep. p. 148.

hac quidem parte damna passa est ingentia. Interea enim dum de modis ac medijs hostem invadendi anxiè deliberatur, ac serius demum milites & pecuniæ vis, à circulorum, qui in hunc quoque usum sunt inventi, Deputatis confertur, nunquam cessat hostis nos malè perdere.

XXII.

Sed dictum hactenus est satis de primo Nomotheticces subjecto, quod est ipsa cujuslibet reip. regio, circa quam præter ejus qualitates versatur exportandorum & importandorum ratio, & consulatio de custodia regionis. Ut vero ea, quæ superius commemoravimus, non sunt propter se, sed propter civitatem & in civitate viventes, ita secundum est, ut de homine dicamus: qui prudenti Legislatori magis curæ esse debet, ut deinceps patebit, postquam ejus, quâdam quasi anatomiâ institutâ, generales partes, ac speciatim deinde potentias, passiones, ac habitus perspexerimus.

XXIII.

Partes verò hominis quot sint, ex actionibus ejus perspicere licet. Quicquid enim agit, agit vel per se, vel per instrumenta. Illius facultas dicitur directiva & perfectiva, quæ in anima & ratione sedet; hujus facultas effectiva, quæ magis in corpore, & ijs rebus, quæ extra advenire necesse est, & corpus quasi umbra quædam concomitantur, consistit. Ut igitur ad bonas actiones requiruntur bona animi, corporis & externa, & ad malas eorundem contraria; ita quoque homini, qui ad benè agendum est natus, has tres principes partes adesse oportet. Quid singulæ hæ vicissim sint partes, more suo & amore Philosophiæ Platonicæ ita disserit subtilis ille & supra laudatus Hopperus (a) introducens Seduardo primogenito de

(a) de vera Jurisprud. lib. 1 tit. x.

nomo

nomothesia & legum condendarum scientia multa interroganti, ita respondentem filiorum alterum Gregorium: S. *Quam vocas animam?* G. *Qua vivit, spirat, sentit, & qua ex suprema mundi regione tracta ac deducta, vitalis dicitur, animalis, sensitiva.* S. *Quid corpus?* G. *Quod ex media regione mundi desumptum, ossibus, intestinis, & carne (uti apud Homerum est) constat. Cujus principes partes sunt caput, ubi præter partes facultatis sensitivæ, etiam mentis, & rationis, cogitationisq́ est domicilium: cor, ubi unà cum animali facultate, ira quoq́ sive animositas sedem habet: & hepar, ubi cum facultate naturali appetitio sive cupiditas residet. Secundariæ autem partes sunt externa instrumenta capitis, manusq́ & pedes.* S. *Quam umbram?* G. *Quæ ex inferiori mundi parte hausta, tum quidem corpori inhæret ut color; tum autem corpus sequitur, ut in solis & alio sit lumine; tum vero ab eo effluit, ut in aqua aliisq́ levibus corporibus videre licet.* S. *Scitè.* G. *Atq́ has quidem tres partes inferiores è mundo sumptas describit quoq́ Poëta his versibus:*

Salve sancte Parens, iterum salvete recepti
Ne quidquam cineres, animaq́ umbraq́ paternæ.

Manatq́ hinc quod hominis dicuntur esse bona animi, corporis & externa: secundum quæ ipsi homines & res humanæ multum inter se differunt.

XXIV.

Partibus modo recensitis subserviunt affectiones quædam, quales sunt potentiæ, passiones, habitus; quæ ab anima profluunt, & in ea sedem habent. Dividitur enim anima in rationalem, & irrationalem. *Est in animo,* (a) 1. Pol. c. 9. inquit Aristoteles, (a) *quod natura imperat & quod paret, quorum diversam censemus esse virtutem, ut scilicet rationem haben-*

habentis, & carentis ratione. Animæ ratione præditæ partes vicissim sunt duæ: ἐπιστημονικὴ & λογιστικὴ, s. una, quâ res eas cernimus, quæ aliter se habere non possunt, altera qua eas, quæ hoc vel illo modo possunt contingere; illius propria est sapientia & intelligentia, hujus prudentia & ars *(a)*; utraque profluunt â *potentiis* illis primis, quæ sunt memoria, intelligentia, voluntas. Animæ porro irrationalis partes sunt quoque duæ una quæ omnino rationis est expers, ut vegetativa, augmentativa, generativa; altera quæ ex se tantum rationis est expers, ut pars concupiscibilis & irascibiis. In hisce animæ irrationalis partibus locum tenent *passiones*, quæ deinceps sunt vel voluptatis, ut spes, lætitia, amor in parte concupiscibili, cujus subjectum habile creditur vulgò hepar; vel doloris, ut metus, tristitia, odium in parte irascibili, quæ in corde est. Hæ sunt animæ affectiones, quæ in parte irrationali locum habent, & sua natura neque sunt bonæ neq; malæ, sed quasi mediæ, ac tum demum discernuntur quando accedit *habitus*, qui est vel virtuosus vel vitiosus. Quicquid enim homines vel bene vel male agunt, si ea, quæ forte fortuna eveniunt, addas, ex hisce animi affectionibus tanquam suis causis oriri constat.

(a) Vide Aristotelē vi. Eth. c. 1.

XXV.

Hisce præmissis, quodnam hac parte sit Legumlatoris opus prospicere erit in proclivi. Nimirum ut, cum civitas non possit non agere, ita formet eam legibus & institutis, ut non malè sed benè agat. Ad benè agendum autem requiritur virtus animi, corporis, & bona externa: quæ omnia ut insint suis civibus, Legumlator efficiat necesse est. Quare & de singulis nunc specialius dicemus, & ad Legumlatoris opus ita propius accedemus. Sunt igitur

virtutes animi, vel intellectuales, quas in mente consistere diximus, vel morales, quas in appetitu concupiscibili collocavimus. Virtutes intellectuales sunt sapientia, scientia, prudentia & ars. Hæ practicæ, priores illæ sunt theoreticæ, & in rerum solummodo contemplatione versantur; quas solas quidam dicunt proprias esse Philosophorum, ideoque in rerum administratione & ordinanda rep. quæ in agendo consistat, non ita esse necessarias. Perperam vero illi statuunt, cum homo utique non solum ad eas, quæ externum opus post se relinquunt sed etiam ad internas mentis actiones seu contemplandum sit natus. quæ contemplativa insuper vita in tantum practicæ præstat, *(a)* quantum mens cæteris humani corporis partibus est præstantior; quæ divinæ particula est auræ & quamvis mole sit exigua, facultate & honore est facilè nobilissima. Quare illud summa ope nitendum, ut secundum eam nostri partem, quæ melior est vivamus, omniaque sunt agenda ut mortali conditioni nos eximamus. Et hinc legum latores contemplationi deditos non solum in rep. debent tolerare, sed & maximis honoribus, immunitatibus & privilegijs cohonestare. Quemadmodum & sola nostra Germania tot divitia monasteriorum prædia contemplationibus ac piis usibus sacra fecit: quanquam hodiè fermè non tam scientiæ, & sapientiæ, quàm inscientiæ, ignaviæ, ac intemperantiæ seminaria esse soleant. Ut ita, quemadmodum olim monachis pro salute reip., cum integra scelerisque pura ipsis esset vita, tradebantur, nunc aliâ lege pro salute itidem reip. eorum multis possint adimi.

(a) Vid. Aristotelem in Eth. lib. x. c. VII.

XXVI.

Quid singulæ illæ virtutes intellectuales sint, latè hic agere supersedebo. Pertinent hæc enim magis ad Philosophos

ſophos morales, & Legumlatoris potius eſt videre, quomodo hæc in civitate agentibus adeſſe poſſint; præſertim cum hoc agere debeat, ut reſp. non ſolum à prudentibus ac ſapientibus adminiſtretur, ſed ut & ipſi qui parent ſint tales. Hoc autem fit, partim naturæ beneficio; partim conſuetudine, partim doctrina: ita quidem, ut natura ſine conſuetudine aut doctrina, vel hæ viciſſim ſine natura nihil poſſint. Ita accidit, ut indoles aut ingenium populo quandoque ſit optimum, cum autem juſtam culturam non admittat, maneat ſterile atque iners. Deinde natura ut ſingulis quandoque hominibus noverca exiſtit, ita quoque totum populum omnino ſtultum & ad prudentiæ ac ſapientiæ ſtudia & artes perdiſcendas penitus ineptum gignit.

XXVII.

In Germania noſtra, ut ſeſe hæc res habeat, illud affirmare auſim, quod ingenium nunquam defuerit noſtro populo, quamvis olim in ea inciderit tempora, queîs optare quàm invenire ſcientiam magis poterat. Apparet hoc inde, quod cum olim *literarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorarint*, ut perhibet Tacitus; *(a)* tamen avidè nunc omnis generis ſcientias arripuerit, ut quæ hactenus doctrinæ gloria ap. Aſiæ & Europæ multos populos ſteterat, nunc noſtris hominibus debeatur. Notandum tamen quod præclarè alicubi de noſtris obſervat Barclajus; *Literæ*, inquit, *(b) multis in locis cultæ inter homines minus ſcendi avidos, quàm docendi. Plura quàm legerint ſcribunt, & ſuam famam ex voluminum, quæ edunt, numero ac magnitudine æſtimant. Vis mentium ut opaca, ita ad æternitatem laborum eſt robuſta: ut cæteri quidem melius ſcire, hi autem plura poſſint.* Hæc ille, quorum prima verba, uti

(a) lib. de moribus Germ. c. 19.

(b) In I. con. anim. c. 5.

haud omnes ex nostris quadrant, ita nescio, annon alijs potius gentibus jure queant exprobrari. Quod prudentiam attinet, eâ parte jam olim sic satis benè se habuit hic noster populus, & quamvis ut inquit Tacitus *(a) gens non sit astuta neq; callida*, quod morum dat simplicitati, nunquam tamen à prudentia fuit destituta, quâ res præclarissimas fortiter gessit, suasque resp. probè instituit. Rebus gestis enim adeo inclaruit, ut ipsi Romanorum orbi terrori fuerit, reliquique populi ad horum nomen, tanquam ad iram Deorum, gelido præ timore trepidarint. Exercitus Romanorum aliquoties feliciter fudit, stragesque immensas edidit. Quod ipsum non à Germanis (qui facti conscientiam secum gestare satis habuêre, casque saltem rudi carmine, quod primum fuit, teste Tacito, Annalium genus, decantarunt) sed ab ipsis Romanis non sine æterna gentis nostræ laudum commemoratione accepimus. Resp. quoque suas prudenter satis instituerunt, & quamvis scriptarum legum & literarum usus aliquis esse sero cœperit, ut infra videbimus: nunquam tamen destituta fuit bonis moribus, qui ibi plus valuêre, quàm alibi bonæ leges, hoc rati *melioris esse viri*, quod inquit, Aristoteles, *(a) leges non scriptas sequi*. Ut sese olim populus noster habuit, ita & nunc quoque gentem nostram à prudentia destituti haud dicere possis. Quod autem rerum nostrarum jacturam faciamus, & multa in deterius vergant, illud non tam gentis, quàm partim Legumlatorum quorundam imprudentiâ, partim morum vitijs, & hinc indignatione divinâ accidit. Homo enim disponit & multa deliberat, Deus disponit & effectum largitur. Ad virtutes intellectuales ultimo loco retulimus artes & artificia, quæ quamvis non pari ratione ad civilem

(a) de moribus Germ. c. XII.

(a) 1 Rhet. c. XV. §. 8.

vitam

vitam requirantur, atque prudentia & sapientia, sunt tamen necessaria atque alia alijs utiliora. Germania autem nostra ad hæc utique facta esse videtur: ita ut alios populos multis parasangis post se relinquat, & in tota Gallia, & Italia, & Hungaria Germani præcipuè, aut Germanorum posteri artificia exerceant. Invenit Germania quoque artificia varia, quod utique indicium est felicis ingenij. Ex illis hoc loco recenseri meretur typographiæ inventum, pulverisque nitrati; illud cum æterno literatorum emolumento est conjunctum, hoc insuper perquàm est ingeniosum, quamvis tamen nesciam Deo an irato, vel propitio sit productum.

XXIIX.

Ex virtutibus animi recensuimus eas, quæ sunt intellectuales & in intellectu sedem habent. Quoniam autem animus constituitur non solum intellectu, sed & appetitu sensitivo, quæ in hoc dominantur, virtutes dicuntur morales, & ab Ethicis recensentur: fortitudo, quæ circa terribilia quæque in vita publica & privata; temperantia quæ circa voluptates concupiscibiles; liberalitas & magnificentia, quæ circa divitias; magnanimitas & modestia quæ circa honores; mansuetudo, quæ circa voluptates irascibiles versatur; & denique justitia, quæ omnibus dominatur, ac reliquas sub se complectitur. Pari autem modo, atque virtutes intellectuales quasdam gentes propius sibi addicunt; ita quoque singulis populis, alijs quidem virtutes, quæ dicuntur morales, quasi esse ingenitæ, alijs earundem contraria naturæ quadam labe, aut si non à natura, saltem à doctrina & bona educatione (quo ipso frequentius peccatur) destitutis inesse videntur.

XXIX. Ger-

Germani in universum ab impavida ad pericula mente suique secura laudantur. *Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur*, ut jam olim inquit Tacitus. Magnificentia eorum efficit, ut tanto hodie urbium, ædiumque splendore sit conspicua. In iram autem videntur esse faciles, quamvis id à morum, qui vino torquentur & ira, simplicitate proficisci dixeris. Sunt præterea intemperantiores non tam in Venere, quam in cibo & potu. Quod in confesso est vitio & jam ab antiquissimis temporibus nostris exprobratum, quantumvis ipsi nescio quâ urbanitatis notâ insignire & excusare semper usque laborarint. Mores in universum omnes olim ad feritatem accessisse videntur. Et humanitas cum illis malis luctata est, donec cum externis bella & tandem mutua commercia sortita, peregrinos mores, quorum semper est aut simulatrix, aut retinens, induit. Quoad justitiam denique illud monendum, quod cum illa duplex sit, altera erga Deum, & erga hominem altera; ita quod primam attinet sic satis benè nostros se habere dixeris. Gens enim facilis est & cumprimis dedita religioni adeo, ut de ea etiam sæpe suis magistratibus credat, & sacrorum ritus, quos princeps civitasq; probaverit, rarius videas ullâ privatorum pertinaciâ perturbari: secus quam in Gallia & Anglia alibique fieri solet. Jus autem sacrorum in Imperio, non Romano modo Pontifici per Lutheri dogma sed & Imperatori per Pacem religionis penitus est abrogatum: ita, ut quilibet Status qui jurisdictionem habet, pontificatum, & de religione statuendi potestatem obtineat. Scissa tamen est Germania in duas quasi classes, quarum primam constituunt Catholici, alteram Reformati

mati sive Protestantes dicti. Hi licet numero longè sint minores, nihil vel vi sibi eripi patiuntur, vel per pluralitatem votorum de religionis capitibus quicquam decidi, utpote cum ea in ijs rebus proprie locum habeat, quæ ipsam societatem civilem concernunt. Alia vero longè est societas & resp. civilis, alia Ecclesiastica, quarum utraq; ad diversa me obligat. Hominibus enim heriliter imperare interdũ fas est, conscientiis dominari non item. Quare religio non tam præcipi quam doceri, & quicquid de ea statuitur in societate, per amicabilem compositionẽ transigi debet. Utut igitur exercitium cuilibet parti religionis maneat integrum, observare tamen licet, leges alibi atque alibi multum hac parte discrepare, ita ut in omnibus propè locis ea pars, quæ prævalet, reliquos licet cives sint ac pars civitatis, à publicis honoribus atq; muneribus, sive expressis legibus, sive receptis moribus etsi iniquè excludat, arceat. Quod consiliũ quoq; Papa Clemens IIX de Hugonottis exstirpandis dabat Franciæ Regi: ut præclare disserit Barclajus. *(a)* Hæc vero ut consilia sunt mitiora, ita videas etiam alibi aliter obtinere: Principesque nonnullos insano quodam zelo agitatos subditis suis omnem religionem non tam propositis præmijs, quam exquisitis pœnis imperare. Quo ipsas divinas & naturæ leges transiliunt: quæ ea, quæ solum per revelationem, non autem naturâ sunt nota conscientijs imperare vetant. Interim eo ipso nihil committitur contra leges nostras Imperij, ut quæ omnium consensu multum iniquitatis habent, & noxæ; siquidem ab eo quo latæ sunt tempore, plurimum in Imperio turbarum dederint, ceu patet ex omni hujus & superioris seculi historia. De justitia erga hominem quandoquidẽ etiam aliquid dicendum, ea in re sanè

(a) lib. 2. Argenidis c. 5.

non

non erimus multi. Cum enim sit complexus ac harmonia quædam reliquarum virtutum omnium, ex ijs utique quæ jam diximus apparebit, quàm benè vel malè hac parte sese nostra habeat Germania. In universum autem invisa ibi est perfidia: & adulteria, furta, scortationes, cædes &c. infrequentius apud nos, quam alibi audiuntur.

XXX.

Sed, cum ubique virtutum ac vitiorum certamen reperiamus; geniumque cujuslibet gentis haud raro fatali quadam senectute marcessere videamus, difficilè sanè erit mores cujusdam gentis scire ac certo definire. Investigare tamen ea possumus, quæ scire haud ita licet, eaque in re cumprimis ejus, qui civitati leges condit, opera debet esse collata. Ineptè enim se gereret is, qui togatis virtutibus militarem fortitudinem præferendo, id agat, ut leges quamvis optimas ad hanc rem condat, eos tamen, quibus leges feret, habeat tales, qui trepident ad fulgur ex pelvi, & metuant prætervolantes muscas. Inanem similiter operam locabit is, qui justam ac temperantem, & ad id facientibus legibus civitatem optimam redditurus, populum habeat, qui *haud abstineat, à quopiam eorum, quæ postrema sunt,* ut inquit Aristoteles, (a) *si cupiditas invadat edendi, aut bibendi, atque ob quadrantem intertimat carissimos sibi amicos;* éque rapto vivens cuncta cædibus, spolijs atque rapinis Thracum in morem misceat. Quemadmodum & is peccaret, qui ad alterutrum horum facientibus legibus civitatem ad alterum aptam reddere; eamque legibus vitæ militari accommodatis virtutis togatæ, aut contra legibus temporibus pacis accommodatis vitæ militaris studiosam facere moliatur. Deinde quo-

(a) 7. Pol. c. 2.

quoque ut cognito morbo facilius est laboranti parare remedium, ita morum gentis suæ cognitio Legumlatori hunc usum præstat, quod, si mali sint, facilius leges ac instituta invenire possit, quibus illi corrigantur. Similiter autem atque de virtutibus intellectualibus diximus, hoc cumprimis leges spectare debent, postquàm constiterit quid in vita ac moribus sequendū, ut efficiant ad id homines natura quasi sua proclives: nec desint qui id doctrina exprimant, & præscriptæ educationis beneficio in sanguinem & succum convertant. Ut vero in virtutibus intellectualibus plurimum potest natura; hæc ipsa tamen in moralibus etiam cum doctrina conjuncta ad virtutem inducendam vix sufficiet, nisi accedat educatio & proba instituta, quæ vim cogendi habeant, & non solum pueros rectè educent, sed & adultos exerceant & in virtutum exercitio firment. Cum enim perturbationes àtque affectiones animi, quæ olim naturâ suâ neque erant bonæ neque malæ, nunc in statu naturæ corruptæ non pareant rationi, ita ut temperanter & patienter vivere insuave sit vulgo hominum; hinc adeo *educationem & exercitationes legibus ordinatas esse necesse est* ut accuratè monet Aristoteles. (a) Et hæc de ijs hactenus.

(a) x. Eth. c. 12. §. 12.

XXXI.

Bonis animi de quibus modo egimus subsunt & quasi ancillantur *bona ac, virtutes corporis*, exercitio siquidem virtutis sua ac propria oportet adesse instrumenta, quorum vicem corpus præstat. Corpus autem ut animo prius est generatione (quamvis id quod generatione est prius, dignitate soleat esse posterius) ita haud infimum ac postremum Legumlatoris est opus videre, ut corpora in civitate degentium rectè se habeant; & talia sint, ut reddi

di possint apta ad pacis & belli negotia. Quod tunc demum illis contingit si (1) *sint multa* (2) *sana* (3) *valida ac magna* (4) *pulchra ac decora.* Primum illud quod attinet, facile apparet debere civium numerum pro negotijs cujuslibet civitatis esse definitum, ita ut nec major vel minor eorum hominum sit numerus, qui vel magistratus gerere, vel alia reip. munia obire, vel mercaturam aut artificia exercere, vel agrum &c. colere debeant. Est autem regio alia quidẽ aliâ longè fœcundior: quod fit partim cæli solique, partim ipsorum hominum vel virtute vel vitio. Quare si numerus in civitate hominum deficiat, neque soli cœlique bonitate peregini in spontaneam vacuarum sedium hæreditatem vocari possint; haud raro Legumlatores immunitates ac privilegia cum commercandi, transeundi, commeandi ac remeandi jure, novis illis hospitibus atque incolis concedere solent. Deinde quoque cum haud rarò ipsorum civium vitio decrescat hominum numerus, hinc cumprimis ea, quæ ad societatem conjugalem pertinent, legibus probè constituta esse oportet. Hæc de numero hominum. Deinceps autem cumprimis illud agere debet Legislator ut non solum multa sint hominum corpora, sed & sana. Nemo enim eum populum diceret esse beatum, qui adeo imbecillo sit corpore, ut si à consueto cibo paulatim recedat, continuo ægrotet, & non nisi accuratissimæ diœtæ beneficio ætatem trahat, & ad morosam senectutem perveniat, quod de infelici Herodico affirmat Aristoteles (*a*) Porro haud temerè ab eo populo ad famam ingentia facta exspectare licet, qui vix pygmæorum proceritatem excedens, nullo membrorum robore ad perficiendam vitam civilem (quæ in militarem usum & proprium pacis distiu-

(a) I. Rhet. c. v. §. 19.

distinguitur) valet. Utraque autem, & sanitas & robur corporis, nunquam populo deerit, si eas quæ ad rationem victus, & societatem conjugalem pertinent, ut jam verbo indicavimus de quibus mox plura dicendi locus erit, rectè omnia sese habeant. Pulchritudo denique corporis est ea, quæ ex plurium membrorum concinnitate oritur gratia, estq; alia adolescentis, alia viri, alia senis. Cum autem multa in civitate non solum debeant esse utilia, sed & pulchra, ita cumprimis hæc ipsa ad decorum civitatis facit, quo ipso tali populo in reliquos imperium, & tanquam proceræ & pulchriori Deorum imagini, honos ac reverentia à cunctis deberi videri possit.

XXXII.

Recensuimus jam virtutes corporis, quibus subjungemus speciatim aliquid de causis ipsarum. Quarum prima est cœlum, ac stellarum in sublunaria corpora influxus: quibus aliquam vim inesse dicimus, non tamen tantam, ut omnia quæ ad formas & mores hominum attinent, cœli siderumque temperamento ascribamus, quem errorem in doctissimo alias Medicorum Coryphæo Hippocrate *Amplissimus Dominus Præses* jam tum redarguit *libro de Germanicorum corporum habitus causis.* Militat enim contra Hippocratem non solum ingens argumentorum vis, sed & ipsa experientia: quæ cœli qualitatis impressam imaginem subjectis terris quandoque inesse patitur, quandoque vero planè contrario se rem habere modo, abundè testatur. Disponere igitur cœli regionem formam hominis ad id, ut sui similem reddat, forsan concedimus, proxima tamen ejus rei causa nulla est alia, quàm victus & connubiorum ratio.

Obſervare hoc licet ſi repetitâ ab antiquiſſimis temporibus memoriâ, ſaltem veterum Germanicorum corporum habitum videamus, de quo ea cumprimis à Tacitò aliiſque memorantur, quod fuerit omnibus idem, proceritate inſignis, cute candidus, oculis cæſiis, capillo recto flavi ac ruffi coloris. Verum hæc omnia ita mutavêre, ut Germaniam in ipſa Germania quærere poſſimus. Quis enim non minor majoribus naſcitur? quis ſeptipedem (puta pedes Romanos, quorum unus plus quam dimidium ulnæ noſtratis eſſe putatur) ſe gloriari poſſet, ſi paucos excipias præſtantes ea, qua proceritate olim omnes erant, ſpectabiles. *Habitus* de cætero *idem omnibus* tot paſſus eſt metamorphoſes, ut quot homines noſtra hodie terra alat, tot vultus, & cutis, & oculorum & capillorum variegatas prodat ſpecies. Conferenti igitur vetera cum hodiernis haud immerito cuiquam cum illo, qui uxorem, quod puerum Æthiopum more nigrum peperiſſet, adulterij incuſabat, ignarus, quod imaginem è regione thori ſuſpenſam puer in utero materno induiſſet, dubitatio ſuboriri poſſet, anne diſpares adeo majoribus ac degeneres jure illorum, quos Germanorum nomine inclaruiſſe accepimus, non ſanguine cretos eſſe gloriemur? Sed inanis eſt hæc dubitatio. Siquidem longè aliam eſſe hujus rei cauſam eum minimè poteſt latere, qui partim ipſorum parentum vitium videat, partim hodiernam teneræ ætatis educationem, & victus rationem cum veteri contendat. Hæc enim ut majoribus optima fuit, ac eadem, ita poſteris peſſima ac diverſa, ut multis docet *Ampl. ac Clar. Dn. Præſes libro de Germanicorum corporum habitus antiqui & novi cauſis.* Qui liber nunquam non eos, qui rerum noſtrarum cumprimis antiquarum ſunt

ſtudio-

ſtudioſi, inſigni perfundet voluptate. Quod mihi quidem contigiſſe, cum debita laudum ipſius Autoris Venerandi mei Præceptoris præfatione, ingenuè fateor.

XXXIV.

Tantum igitur cum interſit ad corporis virtutes acquirendas, hinc ab initio cumprimis opus eſt videre Legumlatorem, ne quicquam circa victus rationem peccetur. Videre hoc eſt in altura boum atque equorum: quorum corpora ſolâ culturâ, & ſana, & robore magna, & frontis formoſitate læta redduntur. Poſtquam autem cives ita ſunt educati, ut & ſani ſint, & robore quodam inſignes, & pulchri, apti quoque utique erunt talibus generandis, corporumque ſuorum virtutes in ſobolem propagandi.

Eſt, namq;, (ut inquit Poëta) *in juveneis, eſt in equis*
Virtus: Nec imbellem feroces *(patrum*
Progenerant aquilæ columbam.

Tales autem cumprimis tum demum fieri conſtat, ſi & ſera ſit hominum Venus, & ignotæ promiſcuæ libidines, ſcortationes, adulteria; quæ aut vitioſum in ſobolem proſeminare ſanguinem, aut planè infœcunda eſſe ſerio Politici monere ſolent. Hæc enim ut incommoda multa afferunt; ita tum demum poſtquam Germanorum libido cœpit vagari, & in exteros ferri, tanta corporum, quin & animorum cœpit eſſe mutatio. Quantum quoque præmatura hominum connubia ſecum trahant incommodi, præclarè ita diſſerit Ariſtoteles: *(a) Eſt adoleſcentium copula ad liberorum procreationem inepta. Nam cunctis animantibus adoleſcentium fœtus ſunt imperfecti, & fœminæ eduntur potius quam mares, & brevi corporis figura, quare neceſſario hoc etiam in hominibus evenit. Cui rei hoc argumento*

(a) 7. Pol. c. 16.

mento est, quod in quibuscunq; civitatibus hoc in more positum est, ut adolescentes cum puellis adolescentulis matrimonio jungantur, imperfecti & brevibus corporibus praediti sint. Quare matrimonio definita tempora beatissimae reip. ponit idem ille: (a) *Virgines*, inquiens, *hac copula jungi circa aetatem decem & octo annorum convenit; viros autem circa triginta & septem, aut paulo plus minusve.* Sed haec ita definire propter alia incommenda in quavis reip. haud licet. Quin potius alibi vulgò lege non scripta, seu consuetudine illud constet: habeaturq; non tam contra leges, quam in vitio, si praematurè nimis adolescentes & adolescentulae connubia contrahant: quemadmodum apud veteres Germanos legum non scriptarũ tenacissimos in usu fuisse legimus. Haec sunt, quae circa corporis virtutes civibus suis inducendas in universum cavere debet Legislator; alterutrum enim horum si minus rectè se habeat, frustra speciosum aliquod corporis decus exspectaveris.

(a) Aristoteles 7. Polit. c. 18.

XXXV.

Nunc igitur ad ea, quae bona dicuntur externa, accedemus: & quatenus sub prudentiam legislatoriam cadant brevibus indicabimus. Quae enim ad vitam & beatitudinem civilem, eadem huc quoque pertinere omnino arbitramur. Nunquam vero is populus, quicquid Stoici negent, dici poterit esse beatus, qui omnibus ijs externis sit destitutus bonis. Quae praecipue sunt, divitiae, & potentia, & honos seu bona existimatio; quamvis tamen haud negamus, esse & ipsa non tam virtutes quasdam, in quibus beatitudo civilis consistit, quam partim media, partim virtutum quaedam consequentia. De divitijs & potentia, ut sint necessariae, unde advenire debeant, quem in finem & quae circa eas oporteat esse constituta, satis superque

perque dictum est supra. Addo pauca de bona cujuslibet gentis existimatione: quæ in eo consistit, si gentis incunabula fuerint & illustria, & antiqua, rebusque præclarè gestis ad æternitatem nobilitata; præterea si populus procrearit homines illustres iis in rebus, quibus hominum studia commoventur, h. e. tales, qui in omni virtutum genere excelluerint. Ita Germanis in laude (*a*) positum est, quod Tacitus de illis ita perhibet: *Germanos indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos.* Hæc vere de Germanis dicuntur, ut adeoque frustra sit *AEneas Sylvius*, qui in *sua Europa*, Francos putat esse Trojanos, aliarumque Germanicarum gentium originem, nescio à quibus exteris accersit, quem errorem redarguit gloriamque nostræ gentis vindicavit Henricus Bebelius, cujus *Demonstrationem, quod Germani sint indigenæ*, inseruit *Melchior Goldastus Politicis suis Imperialibus* (*a*) De cætero videndum ne in talibus laudibus erogandis nimium simus liberales, adeo ut nos risui melius sentientium exponamus, cum iis, qui quarundam civitatum natales, ab ipso diluvio (mirum ni ulterius mentiendi progrediatur impunitas) accersere haud erubescunt, quomodo Augusta Trevirorum & Bardevicum (quod inferioris Saxoniæ oppidum ab Henrico Leone ante quingentos præterpp. annos fuit destructum) multum licentiæ arrogarunt (*b*). Quæ præterea populo nostro honorem concilient, quot fortes procrearit viros, quæ præclarè gesserit longum hic enarrare: essetque infinitum opus, in omnes gentis nostræ laudes excurrere. Quanquàm illud saltem haud prætereundum, quod nihil magnificentius esse possit, quàm quod nomen summi Imperii aquilamque sibi habeat, tanquàm Romam Germania vicerit: in qua tanti nominis majestas sine

(a) de mo- rib9 Germ. c. 2.

(a) part. x. p. 582.

(b) Vide Schockium fabul Hameles. part. 1. c 8.

sociorum Principum æmulatione, reliquiæque fortunæ Romanæ acquieverint.

XXXVII.

Hæc sunt quæ circa hominem & bona animi & corporis & fortunæ spectare Legumlator debet. Quibus vel verbo illud addendum, quod hæ virtutes & viris & fæminis debeant adesse. Dimidium enim iis civitatibus felicitatis abest, quibus ea quæ ad mulieres pertinent, haud rectè sint constituta. Et hoc est, quare legum Lacedæmoniarum defectum passim increpet Aristoteles 2. Pol. Iam pergendum ad alia.

XXXVIII.

Diximus multa de homine. Hic autem cum paucissimas virtutes extra usum vitæ civilis exercere, aut perfectam ac naturalem suam felicitatem raro consequi possit, adeoque in civitate & ut pars alicujus civitatis considerari debeat, hinc utique virtutem partis respicere oportet ad virtutem totius, quod totum, videlicet ipsa resp., ad quam tanquam ad ultimum finem cætera respiciant, tertium erit, & postremum prudentiæ legislatoriæ subjectum. Resp. itaque definitur, quod sit *ordo quidam civitatem habitantium* (a) Ordo vicissim nihil aliud est, quàm lex quædã. Siquidem ap. Aristotelem & aliàs apud Græcos lex & ordo sæpe promiscuè sumũtur. cum nihil magis prudentiæ legislatoriæ proprium sit, quam per bonam ordinationem optima leges, & vicim per bonas ac convenientes leges optimam ac convenientem reip. formam, atque ordinem inducere. Ordo reip. in quibus universaliter loquendo consistat, & quam diversimodè se habeat, vel primis ac elementariis Politices tyronibus haud potest esse ignotum. Quandoquidem in vulgus constat, quod modo

(a) Aristot. 3. Pol. c. 1.

do legibus sit constitutum, ut ordo seu status, quem vocat, reip. sit, modo simplex, seu monarchicus, Aristocratic⁹, Democratic⁹, modo ex simplicibus variè mixtus Tot autē esse rerump. ordines commune omnium fert Politicorum suffragium: nisi quod Bodinus, qui mixtionem rerump. explodit, à communi sententia abierit, quam tamen controversiam nunc non facio meam. Majoris res indaginis est, & qua de re in civitate multum controverti solet, quis ex hisce in quaque rep. sit aut esse debeat ordo. Constat autem tota hæc cognitio partim in notitia eorum, qui parent, magis vero & cumprimis eorum qui imperant, ac penes quos est aut esse debet τὸ κύριον seu summa potestas. Summæ autē potestatis capita ferè sunt; (1) legē universis ac singulis civibus dare: (2) bellum indicere, pacem inire, fœdera sancire; (3) magistratus & honores conferre (4) jus extremæ provocationis & supremi judicii, ut habeat statuendi potestatem de rebus, morte, ac vita civium; (5) nummi percutiendi jus (6) jus vectigalia imperandi.

XXXIX.

Exempla hujus rei (quamquàm sine iis omnia frigidius disputantur) occurrent in quavis rep. Quare saltem nostram Imperij Germanici faciem ad dicta hæc summæ potestatis capita, ut jam alia de eo dicere cœpimus, depingere haud abs re & instituto forsan erit alienum. Primum itaq; quod attinet majestatis caput perspectu haud erit difficile, totum illud esse in eorum potestate qui habent jus comitiorum. Singuli enim cum universorum imperio teneantur, his quoque potestas erit pro lubitu & reip. statu leges scribere atque præscribere. Sed de tota hac re infra agemus pluribus.

Ius porro belli ac pacis Imperatori cum Ordinibus simul meritò ascribimus, pro ea sc. proportione, qua aut ad illum aut ad hos comitiorum jus ac potestas pertinet. Vt Imperatoris quidē nomine bellum proponatur, decernatur, indicatur, ipsa vero decernendi vis penes Ordines consistat. Quamvis autem Ordines cum Imperatore collectivè sumpti jus belli & pacis habent, nullus tamē horum privata autoritate bellum movere potest aut debet, absque communi omnium Ordinum, aut hodie certè Electorum consensu. Quo ipso quamvis merito Ordinum circumcisa est potestas, fœdera his tamē pro lubitu sancire licet super pace generali provinciarum, wegen gemeinen Landfrieden: ac non solum inter se coire, sed etjam cum extraneis Regibus ac Principibus, modo id sine imperii Germanici fraude fiat. Hoc enim in fœderibus simpliciter ac perpetuo excipi debet. Dico Imperium. Imperator enim hactenus excipitur, quatenus se gerit, ut Imperatorem decet. Si nempe potestate sua minimè abutatur, si nihil contra capitulationem, quam juramento confirmavit, nihil contra libertatem & leges patriæ fundamentales aut ipsum reip. statum moliatur, ut probè monet autor illius libri de ratione Status Imperii Germanici (a). Alias contra ipsum Imperatorem confœderationes iniri possunt. Ceu quàm factum An. 1073. à nato Christo, cum Duces atque ordines Saxoniæ fœdus inirent contra Henricum IV, eundemque bello peterent (b). Similiter auspiciis Saxonicis superiori seculo Ordines Protestantes pro libertate religionis adversus Carolum V. fœdera & bella creverunt, pro quorum justitia duas Hortlederi disputationes habet Goldastus in Polit. Imperialibus

(a) part. I. c. IX.

(b) Vid. Lehmannum lib. 4. c. XXVII.

(c)

(c). Quemadmodum & hoc seculo adversus Ferdinandum II. & III, Imperatores, qui majorum exemplo libertatem reliquis Protestantibus eripere magno Germaniæ malo & æquè insano conatu perseverarunt, se gerere haud dubitarunt, cum adversus ligam Catholicam Fridericus Elector Palatinus, Christianus Anholtinus Princeps, Ioachimus Ernestus Brandeburgicus Anspacensis inter sese conspirarent. Accessere iisdem Mauritius Hassiæ Landgravius, Johannes Fridericus Wirtenbergiæ Dux,& Georgius Fridericus Marchio Durlacensis (a) aliique complures.

(c) part. xxxiii p. 371.

(a) Caraffa in Germ. sacra restaurata p. 51.

XLI.

Tertium majestatis caput est magistratuum creandorum potestas, quæ talis est, ut illi qui eos confert summam conciliet & autoritatem & honorem. *Honore enim afficiuntur jure quidem vel maximè, qui jam beneficium dederunt; sed tamen & is honoratur, qui potest benefacere* (b) Inter magistratus autem nostri Imperij procul dubio primū sibi locum vindicant Vicarii Imperii. Quorum alter, nempe Comes Palatinus, vicarius est Imperatoris, vel mortui vel absentis, in partibus Rheni, Sueviæ,& iis terris, quæ jure utuntur Franconico; alter dux Saxoniæ in iis locis, ubi Saxonica jura servantur. Quo tempore hoc Vicariatus privilegium, iis primò concedi, vel ab iis usurpari cœperit,non quâ par est diligentiâ ab antiquis scriptoribus est traditum (a) Illud vero constat, quod hodie de jure illud usurpent, nec sit in Imperii, neque Imperatoris potestate alios in horum locum surrogare, quàm diu Electoratum quisque suum, cui uterque Vicariatus est annexus, legitimè teneant. Inter magistratus Imperii secundum locum obtinent Archicancellarii Imperii, qui

(b) Aristot. 1. Rhet. c. v. §. 14.

(a) Vide Aureā Bullā c v. & ad eam Buxtorfium, ut & Gewoldum de septemviratu, c. XI.

qui antiquis Imperii moribus tres sunt Principes Ecclesiastici. Neque vero in horum electione Imperator quicquàm juris habet, sed simul ac à Capitulo fuerint electi Imperator eos de Electoratu, cui Archicancellariatus hoc munus est connexum, investire, & quoscunque Capitulum legerit pro Imperii Archicancellariis agnoscere tenetur (a) Par ratio est quinque (quot hodie numerantur) secularium Electorum, qui constituuntur neque ab Imperatore neque ab Imperio sed hæreditariam obtinent dignitatem: nisi quod tum demum tanquàm feudum quoddam Imperii in alium transferri hæc Electoralis dignitas ab Imperatore possit, si tota Electoratus alicujus familia sit emortua. Tertium ab his locum obtinet qui tempore belli præficitur militiæ, & generalis belli dux declaratur: quod quidem fieri debet non ab Imperatore, sed communi Ordinum suffragio, quamvis Ordinum libera voluntate Cæsari hoc ipsum jus aliquoties sub certis conditionibus fuerit concessum (b) De reliquis magistratibus minoribus: ex quibus, quomodo, & à quibus constituantur hic dicere non est necesse. Ius vero concedendi honores quod attinet, observandum, quod, Ducum Comitum, Baronum, Nobilium titulum cuiquam conferre inter Reservata (quæ verius Relicta Imperatoris, cum ea sibi reservare haud potuerit, quæ ab Ordinibus ipsi solum sunt relicta, dicenda esse monet Amplissi. Dn. Præses (c) numeratur primum; quamvis tamen eos sine consensu Ordinum in numerum civium, qui soli in comitiis suffragii jus habent, ascribere haud possit.

(a) Vid. Hippolitū à Lapide part. 1. c. 11.

(b) Vid. Hippolitū à Lapide d. 1.

(c) In prælectionibus ad Lāpad

XLII.

Suprema in rep. nostra judicia sunt duplicia, in quorum

rum

rum uno res imperii publicæ expediuntur, & vocantur comitia Imperii, alterum quo res privatæ tanquam ad supremum judicem devolvuntur. Est hoc vicissim hodie duplex, alterum vocatur Cameræ judicium, alterum vocatur consilium illud Aulico Imperatorium, der Reichs Hoff-Raht. De Regimento nihil dico, quod abrogatum est dudum. Comitia Imperii per Imperatorem indicuntur: quæque ab Ordinibus decernuntur, ipsius nomine promulgantur, qui ea insuper exsequendi habet potestatem. Aliàs ex æquo Ordines habent Comitiorum jus, ac singuli tot quidem vota, quot feuda ac terras Imperii habent, quæ in Comitiis veteri more suffragia ferre consueverunt. Imperator vero nihil aliud habet quàm *ἐπίκλησιν* comitiorum, quorum caput ac Præses est: more scilicet veteri Germanorum, hoc est suadendi autoritate, non jubendi. Hoc modo se habent Comitia Imperii Ordinũ qui ita senatus nomine verè possunt dici. Idem obtinet in altero supremo judicio s. Camera Imperiali. Ibi enim Imperator per vicarium, qui Præses judicii appellatur, præsidet: Assessores vero Ordinum, à quibus constituti sunt, vice funguntur. De tertio in Imperio nostro supremo judicio ita judicat Autor dissertationis de ratione Status in Imperio Germanico (*b*): *Consilium illud aulico Imperatorium* der Reichs Hoff-Raht, *quod leguleÿ Cameræ vulgo æquiparant, & consilium Imperatoris secretius,* der Keyserliche Geheime Raht/ *quod Regimento, cum extrema avitæ libertatis internecione substituitur, nova sunt & illegitima, Austriaca domus contra Imperii leges ac jura in perniciem ordinum communisque libertatis tendens machinatio.* Verum hodie lege publicâ illud est confirmatum. Hæc Imperii nostri sunt suprema judicia, quæ quàm male, vel bene per appellationum Revisionumque ambages se habeant, dis-

(b) part. 1. c. XI. 1.

qui.

quirere peculiarem operã requireret, quam jam tum haud inanem collocavit *Ludolphus Hugo* edito libro *de Abusu Appellationum tollendo & Camera Imperiali immenso earum cumulo levanda.*

XLIII.

Cudendæ porro monetæ potestas ad eos pertinet in quavis rep. penes quos est majestas, f. ea majestatis pars, iisque *æquè propria est*, ut loquitur Bodinus *(a) quam lex ipsa.* Apud nos jus illud habent omnes Imperii Ordines, & multæ præterea quoque Urbes provinciales, Imperio immediatè non subjectæ, quæ vel antiquæ concessionis, vel longissimæ præscriptionis titulo hoc jus sibi arrogant. Et Ordines quidem principaliores, seu Principes Imperii nulla sive Imperii, sive Imperatoris facta mentione sua imagine monetam insignire consueverunt. Urbes vero plerumq; & Cæsarum nomen nummis suis præfigunt, quemadmodum quoq; urbes quædam (quod mireris) inferioris fœderatæ Germaniæ faciunt; quo ipso Imperii majestatẽ revereri, & de reditu in commune Germaniæ corpus (qua de re Hispano exacto, serio in provinciarũ nonnullarũ conciliis olim est de liberatũ) adhuc cogitare videntur *(b)* Privato autem monetam neque cudere, neque recudere, neque falsare sine pœna capitali, constitutionibus criminalibus Caroli v. artic. cxi. dicta, cui quàm licet. De cætero quomodo ea, quæ ad rem monetariam pertinent, legibus non solum in Imperio Germanico sed etiam singulis civitatibus, ne resp. inde quicquam detrimenti capiat, institui debeant, legere est ap. Marquardum Freherum libro de Re monetaria, aliosque.

(a) lib. 1. de rep. p. 162.

(b) Vid. Amplis. Dn Præsid. lib de Finibus c. xxviii. & ejusdem dissertatio-nem de pro vinciis Belgicis.

XLIV.

Jus denique tributa ac vectigalia indicendi quod attinet, observandum est, quod hæc quidem cum olim solius

lius essent Imperatoris, ac Judæi quoque, quod seorsim est notandum, durissima adeo haberentur conditione, ut quocunque mearent de corpore suo vectigal Imperatori (unde in antiquis diplomatibus dicuntur servi fisci) penderent, quod hæc inquam ut & alia regalia multa ipsi Imperatores, rerum inopia undique pressi, Papalibusque bellis collisi singulis dudum Ordinibus vendiderint, qui hoc itaque jus partim emptione, partim longâ temporis præscriptione hodie tenent. Jus tributa indicendi totum ad Imperium Ordinumque consensum pertinet, qui necessario hic requiritur, secus quàm in regno Galliæ alibique passim fit, ubi in umbram quidem veteris Reip. comitia habentur eo tamen modo ut â Rege tributa imperentur, relicta in comitiis Ordinibus consultandi potestate, quâ ratione indicta pecunia possit conferri.

XLV.

Hæc ferè sunt reip. nostræ negotia, de quibus deliberare ac statuere, modo in Imperatoris, modo in Ordinum, modo in Imperatoris & Ordinum simul potestate esse diximus. Præter hæc non nulla sunt alia, quæ expediuntur vel â solo Imperatore, vel solis Electoribus, vel ab iisdem & Imperatore simul quæ etiam hic recensere institutum haut patitur. Sufficit enim si tantum dixerimus, unde forma nostræ reip. possis patere. Quam pro rationibus modo in medium allatis non quidem monarchicam, ceu *Theodorus Reinking*, & qui eum defendit *Wilhelmus Wirtzendorff* opinantur, neque purè Aristocraticam, ut alii, statuimus, sed ex utraque hac mixtam. Qomodo autem hæc ab initio misceri cœperit, ita fere constat. Fuit antiquitus populus, si quis alius cumprimis libertatis amans: unde in forma regiminis suâ quâdam sponte non potuit non prodire status quidam

popularis seu Democraticus. Deinde cum populus esset avidus bellanni, propter ruditatem vero ineptus planè ad res gerendas, hinc in statu Democratico natum est quiddam Aristocratici: quod deinceps, cum bella non nisi uno imperante geri poterant, cæpit temperari regio quodam statu, qualis fuit Æsymnetarum. Ita sane sese res habet de Francis: qui omnem Germaniam sibi post subjecerunt. Hoc Francorum vetus regimen, ad nostra usque tempora duravit, ita ut modo optimates præpollerent, modo familia regia. Hinc adeo quod in forma reip. nostræ indaganda ab utraque parte frustra fuerint, causa haut est alia, quàm quod alii omnem mixtionem rerump cum Bono exploserint: alii cum Imperatoris Romani potentiam justo majorem viderent, pro pura monarchia tanquàm pro aris & focis pugnarint; vicissim, (ut variis hæ resp. mutationibus sunt obnoxiæ) si hujus iterum depressâ autoritate Ordines multum sibi sumserint alii legibus & statutis hoc esse conforme, regimenque nostræ reip. merè Aristocraticum esse debere crediderint.

XLVI.

Diligenter itaque Legumlatori est prospiciendum, ne in ipso statu ac forma reip. aberret, aut ei contrarias leges condat, quo ipso resp. mutatur & salus ac conservatio reip., quæ suprema lex esse debebat, pervertitur, infringitur. Netrum vero horum ne contingat; primum quidem (cumprimis si nova resp. condi debeat) cautè circumspiciendum est, quæ pars civitatis imperandi virtutes habeat, ut solum illi ea, quæ diximus majestatis capita ac summa reip. in manus tradatur. Habent autem hæc se aliter atque, aliter, & modò præstat ut lex, modo ut homines imperent; iique modo omnes, aut ex his pauci aut unus, quos vicissim modo

con-

conducit perpetuos esse & hereditarios, modo ambulatoris & electitios. Et pro hac ratione leges in quavis rep. non possunt non infinitis variare modis. Noverit & attendat deinde Legumlator, quæ cuique reip. sint utilia, quæ noxia; eaque cum propria, tum contraria (a) haud aliter atque Medici est non solum non esse, quæ sanitatem inducant, quàm quæ illi sint noxia, De quibus sanè omnino debet nobis constare, ne quæ non nisi ex accidente sunt causæ vel salutis vel morborum cujuslibet reip. arripiantur pro veris & ita planè contrarius inducatur habitus. Causæ enim rerum, & quorum initia latent, sæpe nobis imponunt, quemadmodum morbi, morbive symptomata sæpius pro iisdem causis arripiuntur: Ut quia verbi gratia præcipuam doloris vim circa caput sentimus ibidem etiam principalem morbi causam latere existimemus, & hoc solum & immediatè velimus curari; non aliter, quam si in ardente capitis gravedine aliquis ægroto cranium perforare æstuantesque vapores emittere velit; cum si peritis Medicis auscultaremus, de fonte nobis potius cogitandum esset, ex quo injuriosa capitis gravedo scaturit & exhalat. Nec in eo parum situm est num hic error, qui in causarum indagatione committitur in omnibus disciplinis latissimè grassetur; in Politica autem rerum Politicarum tractatione longè frequentissimè occurrat, & ibidem multo quàm alibi periculosior sit, ut qui in publicam salutem peccet & sic omnium & singulorum res ac fortunas involat.

(a) Aristot. 1. Reth. c. IV. §. 25

XLVII.

Intantum prudentis Legumlatoris opera circa ipsam remp. & eorum, quæ cuique utilia & noxia sunt, cognitionem versatur, ut præter ea, quæ de civitate materia-

terialiter considerata, & ipso homine diximus, absolvat omnia, quæ circa prudentiam legislatoriam versantur atque adeo primæ disputaionis nostræ parti finem imponat.

XLVIII.

Hactenus igitur cum latere minimè possit, de quibus leges in quavis rep. à prudenti Legum latore sint ferendæ, porro quid leges ipsæ, & quæ sint, ordine est dicendum, quæ deinceps Nomothetices nostræ caussam (ut in scholis loquuntur) constituent Formalem. Initio autem non varias hic vocis legum acceptiones enucleo, aut omnia, quæ huc pertinent agendo, brevitatisque laudem amittendo, dissertationem hanc in librum excrescere patior, sed omissis his & multis aliis saltem ad divisionem legis me accingo. Est igitur hæc vel divina, & autorem habet Deum vel humana, quæ ab hominibus condita. Illam vicissim divido in naturalem & positivam; hanc in communem & propriam.

XLIX.

Jus naturale (prout definit Grotius (a) *est dictatum rectæ rationis, indicans actus alicui, ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi.* Est *autem justum quoddam natura & injustum*, ut inquit Aristoteles *de quo homines divino quodam instinctu vaticinantur* (h. e. tacito quodam instinctu & velut divino afflatu commoti idem omnes pronunciant (*etiamsi nulla de eo inter illos communicatio aut pactio intercesserit.* Quod Cicero ita exprimit (b): *Ad quam legem non docti, sed facti, non imbuti, sed instituti sumus.* Et alibi: *Est non nata sed scripta lex, quam non*

(a) de I. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 10.

(a) 1 Rhet. c. XIII. §. 3.

(b) pro Marcello.

didicimus, non hausimus, sed ab ipsa natura accepimus. Obligat hæc lex omnes homines, sive imperio parentes sive imperantes: & quod de majestate imperantium dicitur, quod sit soluta legibus potestas, in tantum tolerari debet, qatenus accipitur de legibus civilibus. Quod Dionysius quoque Syracusanorum tyrannus pessimus agnovit; qui matre, cujus prætericrat jam ad nubendum ætas, marito se dari postulante: Ego, inquit civitatis legibus vim facere possum, naturæ legibus nequeo *(a)*

(a) Plutarch. in apophr. ed. Xylandr. in 8o. p: 327. part, 1.

L,

Leges divinæ positivæ sunt, quæ quamvis destituuntur naturali quadam bonitate & sint ex iis, quæ jure naturæ non præcipi, sed licere dicantur; divino tamen arbitratu factum, ut iis necessitas adderetur, adeoque homines obligarent, eosque vel universos, vel ex his quosdam. Posteriori hoc modo leges deditDeus populo Hebræorum, quæ continentur libris Mosis, & *insignem habent æquitatem, & ad felicitatem humanam multum sunt apta (a)* Non autem solas ad divinas positivas leges, pertinere dixeris eas, quæ decalogo comprehenduntur, ut pote que ferè merè sunt naturales, & non nisi per promulgationem divinam videntur quasi novæ esse factæ. Prior illo modo postquam Deus universis statim à mundo condito, ac deinde post diluvium leges dedit, tertia iisdem vice per natum Christum vivendi normam præscripsit; quæ leges immutatæ manent, & obligant omnes ad consummationem usque seculi. Leges enim eos obligant, quibus à competente superioritate sive Majestate sunt latæ, & tam diu obligant, donec nihil à competente illo judice, vel abrogetur, vel surrogetur. Deum autem verum esse ac æternum hujus quicquid est, universi ac terrarum orbis domi-

(a) Vid. Ampliss. Dn Præsid lib. de Civil. Prudent. p. 315.

mi-

minum, eumque esse, qui ferè quidquid Codice sacro contineatur, à cunctis in æternum observandum velit, ex indubitata Christianorum fide & scholis Theologorum hic præsuppono: ad quas & nominatim ad Hug. Grotium de Veritate Religionis, ut & Mornæi & Calixti de eodem hoc argumento libros lectorem remitto.

LI.

Præter hæc autem alia juris ac legum origo est, quæ non quidem à divina sed libera hominum voluntate promanat, quàmvis tamen per bonam consequentiam ex divino naturæ jure debeant primò quidem deduci. Juris enim naturæ varii sunt gradus, ita ut quædam jure naturæ omnino præcipi, quædam licere dicantur. Illius generis quæ sunt illa mutari nequeunt, & manent semper eadem; hæc autem prout ratio cujuslibet reip. postulat modo juberi modo vetari possunt, & sunt ea circa quæ versatur lex humana, quæ modo laxius accipitur pro consensu omnium gentium, modo strictius, ut unius populi consensum includat. Quod enim ex certis principiis certa argumentatione (quo jus gentium à jure naturæ distinguit Grotius in prolegomenis suis ad librum de I. B. & P.) educi non potest, & tamen ubique observatum apparet sequitur ut ex voluntate libera ortum habeat. Sunt ejus generis hodie multa instituta Germanica, universa ferè Europa Germanicis gentibus inundatâ; ut olim jura Græca gentibus plerisque fuere recepta. Deinde qui se cœtui alicui aggregaverant aut homini hominibusque subjecerant, hi aut expresse promiserant aut ex negotii natura tacitè promisisse debebant intelligi, secuturos se id, quod aut cœtus pars major, aut hi quibus delata potestas erat constituissent.(a) Hæc populi cujuslibet

(a) Grotius in prolegomenis.

libet pactio est lex civilis, *quæ quanquàm nihil potest prohibere, quod jus naturæ prohibet, aut prohibere quod præcipit, potest tamē libertatem naturalem circumscribere & vetare quod naturaliter licebat*, ut præclarè disserit idem ille Grotius (*b*).

(b) lib. 2. de I. B & P. c. 2. § 51

LII.

Dividitur autem lex civilis in scriptam & non scriptam. Eorum quæ scripta non sunt bipartita etiam est divisio, ut inquit Aristoteles (*c*) *Nam alia quidem sunt, quæ cum eximia quadam, aut virtute, aut probitate conjuncta sunt: quibus laudes, honores, dona, aut contra dedecus atque infamia proposita est. Alia vero sunt quasi supplementum quoddam legis scriptæ. Justum videtur etiam id, quod æquum bonum est: & æquum bonum est jus quoddam scripta lege prætermissum. Evenit autem hoc partim in vitiis eis, qui leges scribunt, partim sponte ipsorum. Invitis quidem, cum quid ipsorum intelligentiam effugit: sponte autem, cum quid certò definire non possunt: imo vero universè loqui oportet, res autem non ita se habet sed plerumque &c. si res igitur indefinita sit, & de ea tamen ferenda lex sit, legem universè loqui necesse est.* Hactenus ille.

(c) 1. Rhet. c. XIII. § 12 seqq.

LIII.

Lex vero scripta esse, vel scribi dicitur, ea quæ literis traditur atque consignatur. Cum enim undique nullus hominibus peccandi in remp. positus esset modus, leges quidem tanquam obices humanæ malitiæ, sunt positæ sed quæ in tantum excreverunt numerum, ut memoriâ neutiquam comprehendi potuerint, adeoque scripto mandari ac literis consignari debuerint; quæ scriptarum utique legum est origo.

LIV.

Partes legis scriptæ substantiales sunt proœmium, con-

constitutio, sanctio. Quarum media demum ad essentiam legis adeo esse necessaria ut sine ea legis nomen sustinere nequeat, estque jussio ejus, quod justum, & prohibitio ejus quod est injustum. quæ duo ipsam virtutem legis ingrediuntur vimque obligandi habent. Procemium tanquam caput legi præponitur, eiusque rationem, æquitatem, justitiam, necessitatem, utilitatem demonstrat quo facilius à populo recipiatur. Quare Plato in libro de Legibus & alibi, *magnam in eo positam esse vim*, ait, (recitat ex eo Hopperus (a)) *ut leges procemia habeant, eaque aptè concipiantur: idque haut paulo rectius, quam in suis cantibus citharædi, & concionibus Oratores solent. Addens legislatores, qui sine procemio leges condunt, similes esse Medicis, qui servos curant, quibus nullam pharmaci, quod exhibent, rationem reddentes, ut domini imperant: alios autem qui exordia iis praeponunt, illis esse similes, qui ingenuis hominibus curandis adhibentur, quibus antequàm medicamentum præbeant rationem ejus dant, ut tanquam boni patres persuadeant.* Hæc ille: pulchrè admodum & apposite iis, qui ingenuis se gloriantur esse parentibus natos: Siquidem contra ij qui suis plus quàm heriliter imperant, illud senecæ in ore habent: Legem oportere esse brevem, quo facilius ab imperitis teneatur, & velut emissam divinitus vocem jubere, non disputare debere: præterea nihil frigidius, nihil ineptius esse, quam legem cum prolegomenis. Sanctio, quam denique inter partes numeravimus, nihil est aliud, quam epilogus cujuslibet legis, spondens benè merentibus præmia, privilegia, immunitates; contra autem peccantibus intentans vel mala corporis, ut verbera, carceres, tormenta, membrorum mutilationes, & mores; vel mala fortunæ, ut multam, infamiam &c. Talem appendicem ann-

(a) lib. 1. de vera Iurisprudend tit. xxI.

annexam leges ferè semper habere solent: siquidem justitiæ norma exigit, ut præmia ac pœnæ benè vel male acta comitentur, ac quemlibet flagitijs aut virtutibus suis digna & apud magistratum, & cujus ille vice in hisce terris fungitur apud Deum ipsum boni & mali remuneratorem maneant. Unde illud est apud Poëtam:

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

LV.

Dividuntur leges scriptæ in publicas & privatas, pari modo atque cuncta reip. negotia sunt vel publica vel privata. Leges publicæ sunt, quæ feruntur de iis rebus, quæ cuique reip. pro ejus forma ac scopo publicè sunt utiles. Leges privatæ sunt quæ agunt de rebus atque actionibus, quæ inter personas privatas intercedunt.

LVI.

Numerus ac multitudo legum in quavis rep. debet esse tanta, ut nihil aut quam paucissima in eorum, qui judicant, arbitrio relinquantur. Caussam hujus rei affert Aristoteles (a) *Primum quoniam unum aut paucos deligere facilius est ea prudentia præditos, ut leges ferre ac judicare possint, quàm multos. Deinde leges feruntur adhibita diuturna consideratione; judicia autem re adhuc recenti. Itaque difficile est iis, qui judicant definire; quid justum atque utile sit. Iam quod maximum, legumlatoris quidem judicium est non de una aliqua re, neque de præsentibus, sed & de futuris & universè. At is qui deliberat, quive judicium exercet, jam de præsentibus ac definitis judicant; erga quos sæpe aut amor, aut odium est, aut aliqua propria utilitatis conjunctio, ita ut non possint amplius liquidò perspicere, quid verum sit, sed aut propria voluptas aut molestia tenebras judicio offundat.*

(a) I. Rhet c. I

H LVII. Re.

LVII.

Revera & quidem cumprimis legum ſcriptarum multitudo bonitate & utilitate debet eſſe definita. Malæ enim ſtatum reip pervertent, inutiles eum laborare & inſtabilem efficient. Unde illud eſt, quod in tanta legum, ut deinceps patebit, multitudine Germania noſtra ſeſe male habeat; deſtituitur enim earum juſto numero, quæ ſtatui noſtro ſint convenientes, abundat autem iis, quæ ſunt inutiles. Quare eſſet cur noſtro quoque regno novum quendam optaremus Juſtinianum, qui utilia addat, inutilia vero reſecet indigeſtamque legum noſtrarum molem in menſurabile atque utile corpus redigat. Eſt namque, ut inquit Poëta:

— — immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum, ne pars ſincera trahatur.

LIIX.

In univerſum tamen in legum mutatione aliqua cautione opus eſt. Fit enim ut quædam in rep. ſint non optima, quæ tamen non ſunt mutanda, nempe cum plus mali eſt in mutatione, quam in re ipſa boni. Præterea illud accidit, quod eo ipſo legum vis infringatur, ac impunè peccandi libido accendi ſoleat, ſi ſæpius mutentur leges, *quæ nihl roboris habent, ut ipſis pareatur, præter id quod accipiunt à conſuetudine, hoc vero non contingit ipſis niſi ſpatio longi temporis.* (a)

(a) Ariſtoteles 2 Pol. c. 6.

LIX.

Hoc eſt quod de legibus ſcriptis eſt obſervandum, cui addendum eſt illud, quod, cum pauciſſimi, ut nunc ſunt mores, citra legibus expreſſam neceſſitatem probe ſe gerant, adeo ſint neceſſariæ, ut ſine iis nullo modo benè poſſit in ſocietate civili quis vivere. Quod autem populi mul-

ſi multi legibus non ſcriptis aut ſcriptis valde paucis uti maluerint, haut alia de cauſa factum arbitror, quam quod vel literarum uſum ignorarint, vel quod ſenatus atq; magiſtratus eo ipſo majorem ſibi vellet conceſſam autoritatem, dum pro arbitrio ſententias ferrent? Sic noſtra Germania præter paucas quas habuit leges, ſcriptas poſt ſeculum à nato Chriſto quintum, quo aliquis literarum cœpit eſſe uſus, ſemper conſvetudines veterum, ſeu leges non ſcriptas controverſiarum habuit arbitras; quæ judicandi ratio obſervata fuit uſq; ad ſeculum XIV, quo jura Romana neſcio cujus bonitatis nomine ſenſim ſunt recepta. Hinc Lehmannus quoq; autor probatiſſimus de ſuis Spirenſibus ita loquitur: (a) Daß aber die Rechte der Stadt nicht beſchrieben/ iſt ſonder zweiffel darumb geſchehen/ daß durch dieß mittel Bürgemeiſter und Raht das hohe Oberkeitliche Ampt bey ſich erhalten/ Cämmer und Schuldheiſſen Gericht in mangel der Rechten/ die ſtreit und irrungen vor ſich gehörig nicht richten/ und erörtern können/ ſondern hierin alle weiſungen und beſcheid bey einen Raht holen müſſen. Hic mos vetuſtiſſimus quoque in uſu erat ap. reliquos Germanos non tantum omnes. Quando vero lites eſſent ejuſmodi, ut ex conſuetudinibus & præjudicijs (præjudicia enim erant inſtar legis, ut hodie in Camera quoque Imperiali fere obtinet, quamvis tamen hodierna ſint facta ſecundum jus Romanum) decidi haud potuerint, juraverat Senatus, ſe deſtitutum conſuetudinibus veterum ex animi ſententia judicaturum quemadmodum Athenienſes ſe optimo animo δικαιοτάτῃ γνώμῃ, ſecundum æquum & bonum, quod Græci uno vocabulo τὸ ἐπιεικὲς vocant, ſe judicaturos eſſe jurabant.

(a) lib. IV. c. XXI.

LX.

Inter Jura autem ſcripta cumprimis nomen atque

laudem invenerunt jura Græca & Romana; inque his Justinianea quidem tanta cœperunt esse autoritate, ut naturalem quandam bonitatem, adeoque vim omnes homines obligandi habere vulgo crederenrur. Qui error postquam inolevit, capitalis esse & cum interitu rerump. conjungi alicubi cœpit. Primum autem constat hæc esse jura positiva, ac mutabilia: quo posito deinde sequitur, non quasvis positivas leges reip. esse accommodandas, non remp. quibusvis legibus.

LXI

Hic error autem cumprimis Germaniæ nostræ gravis fuit, eique alter ille geminus factus & conjungi cœpit, quo cumprimis Itali, invidi Germanicæ gloriæ arrosores, leges Romanos non tam bonitate quadam naturali, quam quod ab Imperatoribus Romanis tanquam Germaniæ dominis sint latæ, nosmet obligare, in totalem pene reip. nostræ perniciem prodidêre. Sic quoque Arturus Duyk JCtus Anglus libro, quem conscripsit de autoritate Juris
(a) lib 2. c. 1. n. 10. civilis Romanorum (a) haut dubitat hisce verbis sententiam suam claudere: *Hactenus de Imperio Romano Germanico: in quo legum Romanarum auctoritas necessario majestatem Imperij Romani sequitur.* Supra enim jam satis sibi demonstrasse videbatur, Imperium nostrum adhuc verè esse Romanum, in quo majestatem Romani obtineant & in quo leges Romanæ tanquam commune jus, proprium vero tanquam municipale observari debeat, & eatenus recipi, quatenus juri Romanorum nihil deroget. Similem errorem errarunt multi è JCtis Germanis, qui suæ reliquorumque legulejorum autoritati velitantes obnoxiè infrunitum hoc dogma fovent. Hinc adeo si de rebus nostris quicquam statuendum, cuncta ex

cta ex veteri ævo metiuntur, & simul ac sermo de Cæsaribus incidit, plaustra aliquot legum Romanarum ex Codice, Pandectis &c. ad nauseam producunt, eandemque, quæ olim fuit, hodiernorum Cæsarum potestatem esse clamitant; Ordines imperij ut Duces, Comites &c. non nisi magistratus aut præfectorum numero esse; nec Episcopis hodie majora deberi quam olim, pleno ore profitentur. Digni eo ipso, qui damnati ad suos Bartolos ac Baldos ab omnibus muneribus publicis arceantur, jubeanturq; domi meliorem mentem sumere, ac discere reip. suæ operam navare potiorem. Qualem pænam jam olim exegit ab omnibus (quod tamen videri posset iniquum) legum Romanarum Doctoribus seculo XIV. conscripta *Reformatio & attributa Friderico Cæsari*, quæ ex Goldasti part. I. Reichs Satzungen p. 166. citatur ab Amplissimo Dn. Præside lib. de Origine Juris c. XXXII. illud tamen observandum quod olim apud ipsos Romanos veteres Jurisperiti raro ad clavum reip. sederint, sed in præcipua dignitate fuerint resq; publicas curarint frequentius Oratores, qui norant disserere de eo, quod publicè utile & inutile sit reip.; in causis vero privatorum, quando ipsis agendum, quid justum & injustum, à leguleis, qui inde forsan dicti sunt Jurisconsulti, docebantur, eaque quando dicendi locus erat ex horum sententia in medium proferebant. Longè autem aliter sese res habent hodie in Germania nostra, siquidem passim Jurisperiti Politicorum nomine ac loco censentur, iique qui vel legem è Corpore Juris possunt citare, quovis alio habentur prudentiores, & ad res gerendas aptiores. Quare non immerito effusè admodum risit Principes quosdam Germaniæ Everhardus à Weihe: (a) *Quid in Germania hodie fiat*

(a) In meditam profæder. c. I. n. 18.

fiat, inquit, *in aperto est. Plerique enim Nobiles, ut unum eundemque equum, modo ad plaustrum aut essedum adjungunt, modo ad itinera facienda adornant, modo ad bellorum pericula armant, & equis suis utuntur tanquam Delphico gladio: sic Principes eligunt, amant, conducunt consiliariorum operam in omnibus, quæ sese objiciunt, rebus: ut causas agant, lites tractent, rationibus præsint, arma sumant, constitutiones Imperij exerceant; Oratores & legatos agant, imo Medicum Mathematicum, opificem simul repræsentent*, und das sie zu allen sattlen gerecht seyn *ut præ & loquuntur.*

LXII.

Sed hæc videri possint cuiquam aliena. Ad statum controversiæ igitur ut redeamus, observandum est, quod falsissima sit eorum opinio, qui in omni rerum præsertim Germanicarum historia fœdi hospites, Imperium nostrum esse laciniam ac partem quandam veteris Imperij Romani censent: adeo quæ olim Romanis easdem quoque nostris hominibus latas fuisse leges, ac eosdem obligare, & nescio quæ alia somnia pro stabilienda autoritate juris Romani hominibus obtrudere satagunt. Quid enim? An unquam meminit Roma se in provinciam redegisse Germaniam quæ liberam adeo semper constituebat remp., ut libertas undique terrarum pulsa sibi soli relicta videretur? Unde & Poëta cecinit: (*a*)

(a) Lucanus lib. VII.

Libertas ultra Tanaim Rhenumque recessit
Germanum, Scythicumque bonum —

Quin ipsi Germani cunctarum rerum fuere tandem domini, & nihil non victricibus illorum armis cessit. Dispersi quidem fuerunt quondam, ut *commune erat omnibus*, (quemadmodum perhibet Strabo (*b*)) *qui hunc tractum incolebant, ut alio facile migrarent, & propter victus tenuitatem*

(b) Geograph. lib. VII.

tatem (quæ tum temporis erat Germaniæ facies) *& propter agrorum ignaviam colendorum, & propter inopiam pecuniarum*; sed tandem felicitate armorum Francicorum non solum in unum corpus sunt lecti, sed & attritis viribus Romanis, horum, quod dicitur, Occidentale Imperium illis est subjectum. Quid? quod viduati glorioso illo nomine Romani perpetuo lugeant, ipsa dignitas Cæsarea una cum Imperij Romani juribus ad Carolinam Francorum Regum familiam, & hinc ad Germaniæ Reges pervenit. Non autem sive belli aliquo jure, seu spontaneo quodam consensu in jus veri Romani Imperij transierunt: sed tametsi in nomen illud sensim adoptati sint, ante omnes tamen terras Carolus, cui ingentia facta & pares successus gloriosum Magni nomen peperêre, in Occidente titulo adhuc Francorum & Longobardorum Regis suæ ditioni subjecit. (a) Quemadmodum igitur victores nunquam adigi possunt, ut jurent, in verba & leges victorum; ita quoque nunquam fieri potuit, ut jura Romana obligent nostros homines. Leges enim eos obligant, quibus sunt latæ: at nobis ferri haud potuerunt, utpote cum Justinianus, cæterique legum Romanarum latores, nihil juris in Germaniam habuerint. Quod autem Justinianus statim initio institutionum juris dicatur Alemannicus, Goticus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, ea cognomina nactus est à populis partim nunquam, partim semel victis, non autem planè domitis.

(a) Vid. Ampl. Dn. Præf. lib. de Finibus c. 1.

LXIII.

Hisce ita constitutis facile constat, non ex illis dudum exoletis veteris Imperij Romani rebus sed aliunde longè jura nostra esse petenda, cum illud insuper nunc facile probatum ac certum facere possimus, quod populi

nostri

noſtri propriis ſemper uſi fuerint inſtitutis, ac propriis, ex quo literarum uſus aliquis eſſe cœpit, legibus quoque ſcriptis. Ac initio quidem ſinguli populi proprias obſervabant leges & quaſi ſingulas conſtituebant reſp. quæ leges hodieque nonnullis in locis municipalium ferè jurium autoritatem habent ut paulo infra dicemus. Poſtquam autem hi populi in unum coaluerunt, Regemque unum agnoverunt, multæ aliæ in plenis Ordinum Comitiis leges ſunt latæ & ſancitæ. Appellantur hæ leges *Conſtitutiones Imperij*, ſeu ut Germanicè loquimur, die Reichs-abſcheide. Obligant hæ omnes Imperio ſubditos, (ni quis exemtionem ab iis legitimo modo aliqua in re conſequatur) ac derogant cuivis ſcripto juri, ita, ut meritò vocare eas poſſis jus noſtrum commune. Scribi, ut hoc quoque moneamus, cæperunt hæ Conſtitutiones primum Latino ſermone, utpote cum hunc & ſcribendi elementa à Romanis ſint mutati, donec anno 1236. (ut autor eſt Lehmannus in Chronico Spirenſi(a)) tempore Friderici II. vernaculâ quoque lingua cœperint leges condi. Poſt Conſtitutiones Imperij ſecundum nunc locum obtinent leges Juſtinianeæ, quæ in Germania olim quidem obſervantiam meruerunt nullam, niſi quod à nonnullis rationis loco, & privata quorundam autoritate, non juſſu regio obtinuerint, donec ſuperiori ſeculo per comitiorum regni decretum in ſupremo judicio Cameræ Imperialis in tantum fuerint receptæ, in quantum receptis moribus non adverſarentur, deque ijs ſtatuerent rebus, quæ Conſtitutionibus Imperij haud fuerint deciſæ. *In alia autem ferè lege Imperij publica jus Romanum non eſt introductum. Sed obſervare licet* (inquit Ampliſſ. Dn. Præſes lib. de Origine Juris) *partim conſuetudine quadam tacita partim*

(a) lib. V. c. 107.

c. XXXIII.

tim Principum, Comitum, aliorumve, quibus est ferendorum statutorum arbitrium, constitutionibus, diversis temporibus in diversis locis, observari illud cœpisse. Ex quo enim judicia Romani illius juris Doctoribus sunt commissa fieri vix aliter potuit, quin eorum multi illius juris, cujus audiebant Doctores, quam priscarum Germaniæ legum ac consuetudinum cum peritores, tum observantiores, hujus Romani juris usum sensim introducerent: præsertim apud plebem quoque enatâ juris illius ut ut ignoti præ antiquis institutis singulari existimatione; nec amplius, ut olim, plebe legum suarum curam gerente, sed omni hoc negotio paucis, qui quasi legum domini hinc redditi sunt, concreatio. De jure Pontificio, quod seculo XIV. à Gregorio nono confectum in Germania observari cœpit dicere hic nihil attinet, cum Papæ autoritas multum decrementi passa sit, & secundum jus Pontificum in paucissimis rebus & bonis forsan quibusdam Clericorum Romanentium, inter Evangelicos quidem, fiat decisio.

LXIV.

Hæc igitur sunt jura, quæ in Imperio nostro communiter obtinent. Præter quæ nihil obstat, quin peculiaria ac municipalia cuilibet populo sint jura, qualia à multis retro seculis eis observata esse legimus. Sic Wisigothi, Ostrogothi, Goti, Burgundiones, Franci, Alemanni, Ripuarii, Longobardi, Saxones, eo quo nunc recenseo, ordine propria jura accipere. Cumprimis vero nomen ac laudem invenerunt Speculum Saxonicum, f. jus provinciale Saxonum, & VVichbildicum, seu jus municipale Magdenburgense, quæ hic memorari debent, cum adhuc apud nos in quibusdam locis autoritatem obtineant. Illius juris compilator est Epko à Repko, oriundus vicino nobis pago, ut videtur Amplissimo Dn. Præsidi (a). Insti- (a) de lib. de origine juris p. 172.

I tutum

tutum autem est hoc Speculum non à Carolo M. sed condi inchoatum sub Ottone demum IV, & sub Friderico II. Imperatore absolutum, ut autumat Goldastus *(b)*. Jus VVichbildum, seu ut alii legunt VVeichbildum, exaratum est circa initia seculi XIV. præterpp. Fuêre hæc Saxonica jura tantâ semper autoritate, ut & Poloni non tantum olim Magdeburgum provocarint, sed & postquàm illuc appellare, ob pecuniarum impensas, & longinquæ viæ difficultates, edicto regio vetitum est, hodieque tamen illud observent constituto jure Theutonico in supremo castro Cracoviensi. Qua de re datum privilegium à Casimiro, & confirmatum per Vladislaum Jagellonem Collectioni suæ legum Imperialium præmisit idem ille *Goldastus*. In Germania hodieque tantam obtinent autoritatem, ut multi Saxones iis contrarias constitutiones Cæsareas recipere recusent: cum reliquis statutis Provincialibus Cæsar, seu potius Imperium eo casu, si totius Imperii salus ita postulet, derogare utique possit. Quod fit non tantum propter antiquitatem, sed etiam regionum & populorum, qui eo utuntur & correctionem haud facile admittunt, amplitudinem: præsertim cum devicti à Carolo M. semper præ reliquis liberius fuerint habiti.

(b) In proleg. ad Collectionem Constitutionũ Imperialiũ

XXV.

Præter hæc ferè nihil ex veterum statutis provincialibus observari videas; sed plane alia nova in singulis provinciis sunt condita nuperrimè. Ut enim Germania sub uno capite in varia ac diversa membra est dissecta, ita Principes, Comites & Status Imperii generaliter omnes, sicut & nobiles immediatè Imperio subjecti, pro modo & ratione jurisdictionis eis competentis, statuta condere & consvetudines introducere possunt: uti res ipsa satis

tis demonstrat, & tot jam typis divulgatæ & omnium manibus passim iritæ constitutiones re ipsa comprobant, uti sunt, Lands/ Gerichts/ Stifft Ordnungen/ Reformationen, Stadtrecht/ Lehenrecht/ Wilkühr und Weichbildt. (a) Hanc αὐτονομίαν Principes nostri semper retinuerunt, & secundum eam jurisdictionem in suis territoriis exercuerunt; siquidem tales leges seu statuta vim ratam semper habuerunt, modo ne quicquàm contra statum Imperii publicum statuant ac moliantur. Quod enim ab Imperatore confirmari soleant, fit non quidem, quod necessario tali confirmatione indigeant, aut sine illa eos nullo modo obligent, quibus sunt latæ leges, sed quo facilius in extraneis judiciis & cumprimis Camera Imperiali, quæ statutorum provincialium ratione habitâ sententiam ferre debet, rata habeantur.

(a) Bersius de pactis fam. Illustr. c. 2.

LXVI.

Similiter Ordines quidã Imperii potestatem habent condendarum legum familiarum: quibus determinetur, qui in Principatibus succedere debeant, statuantque multa de dispositione Principum inter liberos Principes, tutela, bonorum alienatione &c. Quales & similes leges in multis familiis obtinent, & ipsis sæpe Constitutionibus Imperii, & juri Romano, quod appellatur hodie jus commune, expresse refragantur. Quæ quidem ita esse constituta, Germaniæ partim profuit, partim obfuit; siquidem sæpè motibus obnoxium fuit, si secundum ejusmodi leges, nimiæ opes ac potentia in unam familiam conferrentur, contra quoque non solum illustres multæ familiæ, sed & res publicæ haud aliter ab interitu vindicari potuerunt. Obligantur autem in singulis provinciis tali jure gentilitio successores non nisi quatenus ipsi

(a) lib. 1. de rep. c. 2.

præbuerint assensionem. Vide Bodinum *(a)* & Nicolaum Betsium integro tractatu de pactis familiarum illustrium.

LXVII.

Ex his utique apparet quanta sit cum autoritas legum Romanarum in Imperio, tum quæ præterea apud nos leges vigeant, obtineantq;. Quod cum ultimum sit, quod circa hanc disputationis nostræ partem de legibus monere voluerimus, pergimus ordine supra posito nunc dicere, quænam prudentiæ nostræ Legislatoriæ sit causa Efficiens. Oportet enim cuilibet rei in actum deducendæ adesse causam suam proximam, directricem atq; perfectivam; cum positis omnibus instrumentis ac mediis intra & extra advenientibus, nihil tamen sequatur, aut sequi possit, nisi positâ ac determinatâ certa quadam causâ. Sic quoque in civilibus rebus, licet adsint ad omnia, de quibus leges ferri possint, nihil tamen sequitur, si desit is, qui possit leges *scribere atque præscribere.*

LXIIX.

Signanter dico; leges scribere atque præscribere: cum ex hisce duabus quasi causis quicquid est legum in rep. profluxerit. Utrumque proprium est Nomothetæ; illud Theoretici, hoc Practici. Nomothetæ Theoretici unicum requisitum est ut sit sapiens, ac prudens. Qualis est is qui novit, quid in vita utile sit & inutile, quid justum seu injustum; & speciatim quæ leges reip. sint utiles, quæ inutiles, quæ justæ, quæ injustæ, quo ipso vir prudens boni & mali, justi & injusti, prope lex est & norma inflexibilis. Paratur vero hæc cognitio partim ex universalibus, partim ex singularibus cujusque reip. circa leges. Vniversalia constant scientiâ Politicâ

liticâ eâque non plebeja, & vulgari, sed exacta. Hæc quæcunque præcipit, sunt vel principia, vel conclusiones, quæ medios subministrant terminos: unde si probe subsumas facilè est quasvis leges apodicticè demonstrare, & bonas à malis, utiles ab inutilibus distinguere. Quandoquidem autem legum sive latarum, sive ferendarum causæ atque occasiones sæpe solent in occulto latere, atque illa quæ non nisi ex accidente cum iis conjunguntur pro veris ac proximis causis sese offerre; hinc adeo scientificè subsumere, iisque conclusionem subnectere, ita ut verum sequatur, magnum est, plenum difficultatis: & non nisi verè prudentis Politici opus. Quare cuivis haud quidem facile aut in proclivi est bonas in rep. leges condere, aut de latis utiles sint nec ne, prudenter pronunciare. Et inde est, quod superiori anno ab Illustrissimo Domino Barone Boineburgio sollicitati Forstnerus, Conringius & Bœclerus viri doctissimi, ut legum Imperialium τὸ διότι historia quadam Constantinum Imperii comprehenderent, tantum opus aggredi modestè recusarint; quanquam tamē haud multa diligentem ac gnarum rerum humanarum & præcipuè nostrarum indagatorem, si haud destituatur ad id quibusdam requisitis mediis fallere posse & ipsi affirment, ut patet ex illorum literis ad Illustrissimum dictum Baronem responsoriis, quas optima Clarissima cujusdam Viri pace descriptas servo. Singularia porro cujuslibet legis consistunt in legum τῷ ὅτι, seu cognitione eorum, quæ legibus sunt constituta; unde apparere possit, non quidem, num utile sit vel inutile, quodcunque fiat in rep., sed an secundum leges sit, vel contra leges. Sed hæc prudentia minor est illa, qua de paulo ante diximus universalium & eorum

quare quid sit constitutum prudentia. Est tamen necessaria legumlatori, cum cognitis iis quæ legibus sunt constituta demum quæ in rep. mutanda sint nec ne perspexerit exactius.

LXIX.

Hæc de prudentia ejus, qui leges scribere easque judicare in animum inducet. Cum autem lex non solum scribi, sed & præscribi ac juberi debeat, altera hæc Nomothetices causa in jubendi potestate h. e. majestate consistet. Quæ nihil est aliud, quàm legibus in cives ac subditos soluta potestas, quæ quod justum est, legibus positis imperare, quod injustum iisdem potest vetare. Talis potestas autē in omni est rep. quæ quidem sui est juris, nec superiorem recognoscit; ita quidem, ut leges obligent, modo omnes præter unum, modo excludant paucos, modo singulos. Ad quæ postrema verba observandum, aliud esse universos, aliud singulos obligare: *cives singuli quandoq; jurant in leges, universi non jurant, quia singuli universorum imperio tenentur.* (*a*) Illud quoque notandum, cum legibus solutam potestatem dixerimus, hoc minimè accipiendum de omnibus legibus. Primum enim legibus naturæ sive parentes sive imperantes utique tenentur: deinde quoque ad decorum & ordinem reip. (qui in eo consistit, ut decentior membris cum capite sit convenientia) pertinet, ut imperantes suis legibus ultro se conforment, nec subditis quicquàm præcipiant, quod sibi ipsis non prius imperaverint. Quæ hactenus sunt accipienda in quæstione honestatis & voluntatis, non violentæ obligationis. Obligatio enim talis nulla est. Voluntas ad modestiam, verecundiam, & bonitatem imperantium refertur; ut cogitent, non omne quod licet esse honestum,

(a) Bodin, lib. 1. de rep. p. 145.

nec

nec revera illud omne esse bonum, quod lege non sit vetitum.

LXX.

Dicto hoc modo duplex Nomothetices est causa Efficiens. Hæc tamen, quam imperantium imprudentia sœpe disjungit si una fieri & in quavis rep. conjungi possit, ita ut iidem, qui legum condendarum potestatem habent, legum quoque verè sint prudentes, esset è re cujusvis reip. cum ita demum non posset non bonis uti legibus. Hinc in vera Aristocratia cū optimi regnent necesse est, ut iidem sint prudentissimi. In Democratia quoque ita debet esse constitutum, ut, postquam coierint, facile ea, quæ publicè prosint in medium possint consulere: siquidem probabile est, multos haud difficile id quod utile sit vel inutile, esse deprehensuros, non tamen, ut singulos, sed ut universos; *Non aliter atque cana collata studio plurium suaviores sunt illis, quæ unius sumptu structa fuerint,* quo simili bis utitur Aristoteles in Politicis (a) In statu monarchico nihil quoque existere potest laudabilius, quam si ille qui summâ rerum potitur, adeoque legum ferendarum potestatem habet, idem per se intelligat, quid in civitate sua justum quid injustum, utile vel inutile sit. Hoc si minus sit in eo, sufficiet, si saltem ex iis quos Amplissimus Dn. Præses in Animadversionibus ad Machiav. (a) recenset prudentiæ gradus quidam in Principe insit. *Quorum, primus est*, inquit *eorum, qui etsi ipsi consilia invenire non sint apti, quæ ab aliis tamen sunt data possunt exactè dijudicare, idque expensis eorum rationibus. Alter eorum, qui ne hoc quidem possunt, consiliarium tamen idoneum ab inidoneo accuratè norunt discernere. Tertius illorum, qui etsi ne hoc quidem valeant, ea tamen sunt facilitate ingenii, ut non*

(a) lib. 3. c. VII. & ejusdem lib. c. XI.

(a) p. 205.

non temerè cui quam ministro, qui prudentiæ & fidei opinionem sibi peperit, refragentur.

LXXI.

Hisce ita constitutis illud minimè præterire debeo, quam ineptè multi hic sese gerant, dum fatui sacræ tyrannidis assertores, Papam tanquam infallibilem legum humanarum judicem, cui potestas omnis in hac terra à Deo sit tradita, qui supra leges sit, potestatemque habeat de legibus statuendi dispensandi, & alia, hominibus obtrudere conantur. Pleni ejusmodi ineptiarum sunt libri doctorum Pontificiorum penè omnes. Cœperunt autem hæc ita doceri, cumprimis statim à temporibus Hildebrandi: qui postea vocatus Gregorius VII, virulentum hoc dogma primus in vulgus sevit. Post illa Bonifacius IIX. non dubitavit hac de re publicam legem condere, quæ juri Canonico inserta ita se habet: *Subesse Romano Pontifici, omni creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Hæc cum olim in Curia Romana ageruntur, Philippus se Galliæ Rex ei decreto opposuit, ac pronuntiavit hoc irritum atque ineptum. Fremere initio quidem Romana curia, sed cum Rex Galliæ instaret, factum est, ut alio decreto Bonifacij successor Clemens V. sancire fuerit coactus; saltem Regi Galliæ decretum Bonifacij præjudicare haud posse, quippe cum hic minimè sit subjectus sedi Pontificiæ. Quasi vero Germani, ne quid dicam de cæteris populis, non æquo jure gaudeant cum Gallis, cum horum fratres sint verè germani, & hinc olim, judice quidē Strabone *(a)* apud Romanos nomē suū sint sortiri. Sed hi ipsi, ut & cæteri populi plurimi, in majore semper Papæ obsequio, & ipsissima sacræ illius tyrannidis fuerunt instrumenta. Est nunc tamen, quod

(a) Geog. lib. 7

quod lætemur, deque nostris quoque rebus speremus melius, cum plurimi cautius mercari discant, Papæque illam potestatem majore zelo, quam olim superstitione persuaderi eam sibi passi erant, nunc ejurare gentes incipiant. Papæ quidem ne omnibus se deridendos propinent, in eo adhuc toti sunt, ut pristinam suam autoritatem sartam tectam conservent. Hinc hodieque quolibet anno, & quidem singulis diebus Jovis præcedentibus diem Paschalem, quandam quam vocant bullam Cænæ Domini solenniter admodum promulgare solent, quâ diris devovent, ac anathemate feriunt eos omnes, qui constitutiones pragmaticas aliasque leges sanciant, juri Pontificio vel tacite, vel expressè, directè vel indirectè adversantes: haud aliter ac si in positivas illas & sacræ tyrannidi natas leges omnis terrarum juraverit orbis. (a) Cumprimis vero ad hanc rem Jesuitarum nunc utuntur satellitio: quod virulentum hominum genus, flamina seditionum, parricidiorum nefandi artifices, ab ortus primis incunabulis, hoc dogma contra quosvis propugnandum susceperunt. Hinc adeo nuper eorum nonnulli propositis aliquot Thesibus (ipsi vocant Assertiones Catholicas, quæ hic cum alio libello illis opposito sunt recusæ) haud asserere dubitarunt infallibilitatē Papæ in quæstionibus non tantū juris, sed etiam facti. Alia plurima sunt, quæ illi improbi in remp. Doctores pro divino Vicariatu Papæ ac ejusdem autoritate, potestateque in civilibus pariter atque Ecclesiasticis afferre solent. In quorum tamen argumenta si inquiras, videas alia ex aliis opinionum monstra enasci, quibus vel recensendis plus quam diurna opera insumeretur. Præterea quoque quicquid illi ganniant, quicquid etiam turbarum passim eorum nugæ dare potuerint,

(a) Vid. Actionem perduellionis contra Jesuitas p. 10.

nunquam tamen deinceps fiet, ut seculares Principes ejus se submittant jurisdictioni. siquidem dudum Paparum prætensiones fabulæ esse cæperunt, surdisque acceptæ sunt auribus. Præsertim cum verè hodiè à nostris doceatur, non solum Paparum in seculares nullam esse potestatem sed ne quidem jure in Clerum, qui ut olim Apostoli, subjectus esse debeat potestati civili. Quare utique nec juri seu legibus Pontificijs de bonis & personis vel Clericorum, vel secularium quicquam statuere licet, nisi majestas in quavis rep. civilis præbuerit assensum.

LXXII.

Salva igitur manet Regibus supremisque potestatibus, ea de qua dicimus leges ferendi atque jubendi potestas. Quæ quoque majestatis pars, in nostro sane Imperio elucet. Dico in Imperio. Ut enim ij, qui regimen nostrum putant esse *μοναρχικὸν*, ita quoque multum falluntur, qui legum ferendarum potestatem Imperatori & quidem soli tribuunt. Apparet hoc inde, quod ipsa (ne quid dicam de veteribus Germanorum Regibus) Cæsarea vel Regia potestas, quæ à Carolina Francorum familia pervenit ad Saxones, à Saxonibus ad Francones, qui sunt ad Mœnum, ab his rursum ad Saxonem Lotharium, ab eo ad Suevos, à Suevis post aliquot intervallum, quo res variè fluctuavit, ab Habspurgenses aut Austriacos ab Habspurgensibus ortos, ad Austriacis ad Lucelburgenses, ab ijs vicissim ad Austriacos ap. quos hodieque est, pervenit: quanquam, inquam hi tali, ut supputat Ubbo Emmius, (a) ordine per tot devoluta secula in Germania sint rerum potiti, in leges tamen Capitulares ab ordinibus præscriptas jurare coacti, & ad observantiam Recessuum Imperij jure contractus fuere obligati: ut ita tam quoad vim coacti-

(a) In sua Chronologia.

coactivam quam directivam, tam de necessitate, quam honestate legibus subjecti esse vere dicantur. Ordinibus enim demum in Comitijs legitimè congregatis cum Rege legum ferendarum arbitrium, ac jus de rebus omnium civium imo & ipsius Imperatoris statuendi, adeoque legibus solutam, & supra leges, etiam Imperij fundamentales, potestatem tribuimus. Comitiorum est leges mutare, ijsdemq; derogare, abrogare, surrogare: cum secundum Philosophos eadem sint principia destructionis, quæ constructionis, nihilque tam naturale, quam eodem modo quid dissolvi, quo colligatum est. Unde & id sequitur, quod Imperio, si nempe Comitiorum communi fiat consensu, liceat & ipsam, quæ lexi alioqui creditur Imperij fundamentalis, Auream Bullam abolere, & quidvis surrogare, cum ea ipsa Comitiorum publico consensu sit olim constituta: ut pluribus docuit Ampl. Dn. Præses in publicis prælectionibus ad Lampadium. Imperatori nihil aliud est relictum, quam quod (1) διοίκησιν comitiorum habeat. (2) Ipsius nomine leges promulgentur. (3) Quod jus exequendi ea, quæ legibus sunt constituta ipsi maneat integrum. Quæ an legum ferendarum potestatem omnemque Majestatem exhauriant, quivis cordatus facile mecum judicabit.

LXXIII.

Sed nimis longos λόγυς cædo; quare ultimum denique nostræ disputationi subnectam, & qui sit Nomotheticces sive prudentiæ legislatoriæ *Finis* brevibus deinceps edisseram. Hoc autem in negotio dupliciter versari potero. Similiter enim atque usu venit, ut cujuslibet rei finis alius sit internus alius externus, alius proximus alius remotus, ita Nomothetices quoque nostræ Finem

statui-

ſtatuimus duplicem (1) *εὐνομίας* (2) *εὐδαιμονίας*. Illa intra prudentiæ legislatoriæ artem continetur, & eſt non niſi poſterioris gratia, adeoque minus principalis. Eſtque viciſſim duplex, quod innuit Ariſtoteles: *(a) Non eſt*, inquit, *bona legum conſtitutio, benè leges eſſe poſitas, minimè vero ipſis obtemperari. Quare unam tandem legum exiſtimandum eſt eſſe, obtemperare legibus poſitis: aliam vero rectè poſitas eſſe leges quibus ſtant, licet enim quoq; parere legibus malis.*

(a) 4. Po. c. 8.

LXXIV.

Alter finis eſt ſalus civium, ſeu ut Græci loquuntur, *εὐδαιμονία*, ad quam omnis legum conſtitutio debet collimare & efficere, ut plærumq; civib⁹ bene ſit, vitamq; poſſint traducere in rerum ſufficientia & virtutum exercitio. Quæritur autem ſalus civium quandoque communis omnium; quandoq; primario imperantium, reliquorũ vero non niſi per accidens. Illud fit in rebuſp. melioribus, hoc in earum tranſgreſſionibus, quas Græci *παρεκβάσεις* vocant. Idem in Nomotheſia eſt obſervandum, & hactenus ipſius reip. legumque latarum ſeu ferendarum finis eſt idem, ita quidem, ut ſi ipſius reip. finis ſit commune tam imperantium quam parentium commodum, ad id quoque leges debeant eſſe compoſitæ. Porro ſi finis reip. ſit vel potentia, vel divitiæ, vel voluptates dominantium, idem quoque leges ſpectare debeant. Quare ad quem ſcopum poſſit ac debeat reſp. componi, Legumlatoris eſt diligenter admodum obſervare. Eſt vero hic in quavis rep. duplex; vel enim eſt ſimpliciter optimus, vel *κάτα τι*, ſeu ſecundum quid. Hinc, pro modo atq; operibus civitatis, conſtituto ex his quodam certo ſcopo, ut prudentia id ſibi agendum ſemper proponit, quod ut conſequatur in ejus

erit

erit potestate; ita prudens Legislator, si non optimum possit virtutis inducere habitum (repetire enim est & tales, quibus nulla alia quam servorum felicitas convenit,) saltem hunc legibus suis finem, atque modum ponat, quo modo civitas ejus virtutis quæ in ipsam cadit studiosa possit reddi. Quo ipso Legislator nunquam non legum suarum finem ultimum obtinebit.

LXXV.

In Imperio nostro Germanico, ut de hoc quicquam denique addam, qui legum debeat & possit esse finis si inquiramus, ex supra dictis, & ipsius terræ hominumque natura facile patebit: non quidem componi debere nostram communem remp. ad utilitatem dominantium, sed ad commune omnium commodum, & facultatem degendi vitam in rerum sufficientia & à majoribus accepta libertate. Hac parte optimè sese habet resp. nostra. Cum verò proximus, qui esse debebat, legum nostrum finis, qui hoc respectu medium est ad illum ultimum finem tendens, minus bene sese habeat, ita ut leges quammultæ non rectè sint positæ, neq; ea quæ debebant omnia observentur, hinc fit, ut pessimè sæpe nobiscum agatur, quove minus verum illum ac ultimum legum nostrarum finem consequamur. Si enim attendas ea, quæ fiant, Ordinumque Imperij studia videas, observare est, ea sæpe longè esse inter sese diversa, adeoque nec eundem esse scopum singulorum, qui est universorum. Nec præterea videas hactenus esse inventas leges, quæ animos valerent conciliare, aptamque quandam inter universorum & singulorum commoda harmoniam instituere. Hoc autem quando fit in ijs rebuspubl. quæ commune

omnium commodum propoſitum habent, non poteſt non uſu venire, ut ex hoc animorum diſſidio potentior quidam compendium faciat, & utriuſque libertatem opprimendi capiat initium. Haud aliter atq; pugnam muris & ranæ, ciconia ſuo, utrique infauſto interventu, apud prudenter nugantem Æſopum & Homerum Poëtarum patrem in ſua βατραχομυομαχίᾳ decidebat. Quod ne noſtris quoque hominibus accidat nollem augurari, niſi quorundam ſtudia reipubl. unicè noxia ſatis eſſent nota, ſintque jam dudum ea de re viri docti conqueſti.

LXXVI.

Hoc vero quod & in univerſum de Nomothetices cauſa Finali, deque legum noſtrarum fine in ſpecie attulimus, cum ultimum ſit, quodcirca propoſitam materiam conſiderationem quandam mereri diximus, idque ut & alia quæ huc pertinere videbantur, pro ingenij tenuitate, & qua potuit fieri brevitate, præſtiterimus, hic tandem pedem figimus. Quod ſi vero in ampliſſima pariter ac nobiliſſima materia verſati, omnia, quæ huc omnino pertinent (quod opus fateor ingentis molis aliquot volumina æquaret) minus fuerimus aſſecuti, aut iis conſarcinaverimus forſan aliena, tu quisquis es, Benevole Lector, da hæc juvenili ætati, à qua hæc exercitij Academici gratia proficiſcuntur. Tu vero benigne Deus largiare vires meliora auſis, quæ in tuam omnia vergant gloriam, patriæq; commodum.

F I N I S.